DE AVGVSTINI DISCIPLINARVM LIBRO QVI EST DE DIALECTICA

DISSERTATIO PHILOLOGICA
QVAM SCRIPSIT
AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO
PHILOSOPHORVM IENENSIVM ORDINE
RITE IMPETRANDOS

BALDVINVS FISCHER
COLONIENSIS

IENAE TYPIS G. NEVENHAHNI
MCMXII

Genehmigt von der philosophischen Fakultät der Universität Jena auf Antrag des Herrn Professor Dr. Goetz.

JENA, den 8. Juni 1912.

Dr. L. Plate,
d. Z. Dekan.

Inter litterarum monumenta, quae orbem liberalium artium comprehenderunt, notum est nullum maioris momenti fuisse quam libros novem disciplinarum M. Terentii Varronis. Quos libros grammatici, qui post Varronem floruerunt, ut tractatione atque ratione pariter insignes quasi pro fundamento habentes non modo excerpserunt, descripserunt, propagaverunt, sed etiam mutantes ita obscuraverunt, ut quantum ipsorum esset, quantum Varronis saepissime dici non posset. Inter fragmenta autem, quae certis testimoniis agnoscuntur, magnam auctoritatem tribuere solent philologi Aurelii Augustini libello qui est de dialectica, utpote qui quasi integram Varronis doctrinam reddere videatur. De origine autem huius libelli non omnes viri docti idem sentiunt, cum alii Augustinum dialecticae argumenta e Varronis libris de lingua Latina, alii e secundo libro Varronis disciplinarum hausisse censeant. Quod cum ita sit, non inutile esse videtur quaerere, num argumenta, quae Augustini studia Varroniana et libellus ipse de dialectica praebent, nos ad fontem deducant, ex quo Augustinus hauserit.

§ 1.

Ex quo vir summus Fridericus Ritschelius ad M. Terentii Varronis libros indagandos non uno modo viam ac rationem aperuit, cum de singulis libris multis rectius iudicari coeptum est, tum fragmentorum copia in libris posteriorum scriptorum abscondita in clariorem lucem potuit protrahi. Inter has Ritschelii quaestiones nobis imprimis ea quae inscribitur 'commentarius de M. Terentii Varronis disciplinarum libris' [1].

1) Fr. Ritschelii opuscula vol. III p. 352 eqs.

excutienda erat, qua ille singulos Varronis disciplinarum libros in ordinem redegit atque eorum argumenta ex reliquiis apud posteros inventis composuit. Ipsum autem secundum disciplinarum librum de dialectica, in quo quaestiuncula nostra maxime versatur, Ritschelius strictim attigit, quamquam iam ante illum Rudolphus Schmidt in dissertatione de Stoicorum grammatica [1]), quae in Augustini libello de etymologiis docentur, e Varronis libris de eadem re fluxisse coniecerat. Primus Augustus Wilmanns in dissertatione, quae inscribitur 'de M. Terentii Varronis libris grammaticis particula' Bonnae 1863 edita (quam repetivit in libro Berolini anno 1864 edito) Augustini dialecticam ad Varronis reliquias restituendas adhibuit. Qui vir doctus expensis omnibus indiciis atque notis, quibus Augustini libellus ex Varronis libris derivatum se ostendat, eo adducitur, ut illam Augustini artium liberalium partem e Varronis singulis de lingua Latina scriptis emanasse contendat. Quibus argumentis Wilmannsius commotus hoc effecerit, nunc disseramus.

§ 2.

Primum enim Wilmannsius exponit (l. l. p. 16 eqs.) e veriloquiis in Augustini dialectica prolatis plurima tamquam Varroniana notanda esse aliaque illis tam esse similia, ut ab eiusdem scriptoris libris, qui perierint, profecta videantur [2]). Deinde principia etymologica eadem esse apud utrumque, praeterea argumentum eodem modo ac Varronem in libris de lingua Latina divisisse Augustinum (dial. c. VI p. 8, 29): 'ergo omne verbum propter id quod sonat quattuor quaedam necessaria vocat in quaestionem, originem suam, vim, declinationem, ordinationem'. Tum Wilmannsius ostendit Varronem de origine verborum vel de etymologia in priore triade librorum de lingua Latina locutum esse (de lingua Latina V 2), Augustinum more dialecticorum accuratius tractasse

1) ed. Halis 1839 p. 27.

2) Cf. Fr. Muller, de veterum imprimis Romanorum studiis etymologicis (Traiecti ad Rhenum 1910) p. 254.

eandem rem, declinationem autem et ordinationem ab illo tractatam cum reliquis Varronis partibus convenire. Denique unicum terminum 'proloquium', quo Varro in libris syntacticis Gellio testante sit usus, apud nullos alios inveniri nisi apud Arnobium, Martianum Capellam, Augustinum.

His argumentis Wilmannsius adductus est, ut Augustini libelli particulas Varronianis vestigiis notabiles ad secundum, tertium, quartum librum de lingua Latina referret et argumenta horum librorum, qui perierunt, e singulis Augustini dialecticae locis restituere conaretur. At omnes tamen rationes, quibus Wilmannsius sententiam suam confirmat, non impediunt, quin Augustinum materiam suam e Varronis libro disciplinarum de dialectica hausisse dicamus; nam manifestum est illud saltem, Varronem diversis locis ubi similes vel easdem res tractavit non diversa veriloquia, non alias partes declinationis aut ordinationis proposuisse. Itaque cum Augustinus nonnulla veriloquia in dialectica expediat, quae etiam in libris de lingua Latina occurrunt, et principia etymologica apud utrumque eadem sint, nonne Augustinus eandem rem ex Varronis dialectica excerpere potuit? Quodsi Wilmannsium tam longa disputatio de etymologiis in Augustini libello offendit (l. l. p. 19) atque hac in re validissimum esse putat argumentum, quod omnem dubitationem de consensu Augustini libelli cum libris de lingua Latina tollat, nobis quidem hoc argumentum minime sufficit; nam constat, ut vir doctissimus Georgius Goetz exposuit[1]), studium originis verborum indagandae in omnibus Varronis libris praevalere. Hanc autem Varronis ingenii proprietatem in libro disciplinarum qui est de dialectica non minus quam in aliis libris viguisse per se intellegitur. Quod porro terminus 'proloquium' Gellio teste apud Varronem in fine libri XXIV de lingua Latina occurrat, et Augustinus eodem termino sit usus, censesne, Augustinum hunc terminum non invenisse nisi in libris de lingua Latina? Perlustremus Gellii testimonium, qui libro XVI 8 dicit: 'Cum

---

1) Zur Würdigung der grammat. Arbeiten Varros (vol. grat. litter. societ. Saxonicae univers. Lipsiensi ded. Lips. 1909) p. 68. 70. 74.

in disciplinas dialecticas induci atque imbui vellemus, necessus fuit adire atque cognoscere, quas vocant dialectici εἰσαγωγάς. Tum, quia in primo περὶ ἀξιωμάτων discendum, quae M. Varro alias profata, alias proloquia appellat, commentarium de proloquiis L. Aelii, docti hominis, qui magister Varronis fuit, studiose quaesivimus eumque in Pacis bibliotheca repertum legimus. Sed in eo nihil edocenter neque ad instituendum explanate scriptum est, fecisseque videtur eum librum Aelius sui magis admonendi, quam aliorum docendi gratia. Redimus igitur necessario ad Graecos libros. Ex quibus accepimus ἀξίωμα esse his verbis: λεκτὸν αὐτοτελὲς ἀπόφαντον ὅσον ἐφ' αὐτῷ. Hoc ergo supersedi vertere, quia novis et inconditis vocibus utendum fuit, quas pati aures per insolentiam vix possent. Sed M. Varro in libro de lingua Latina ad Ciceronem quarto vicesimo expeditissime ita finit: 'Proloquium est sententia in qua nihil desideratur' [1]. Varro igitur in libro XXIV de lingua Latina hunc terminum adhibuit: at e Gellii verbis nonne concludendum est, eum terminis 'proloquium vel profatum' etiam in dialectica esse usum? Qua de causa autem Gellius definitionem proloquii non in dialectica Varronis quaesiverit, nescimus, sed hoc certe scimus, Martianum Capellam, qui, ut postea demonstrabimus, in parte e Varronis disciplinarum libris artes suas liberales excerpsit, in libro de dialectica, id quod dialectici ἀξίωμα nuncupabant, non secus ac Varronem appellare proloquium, deinde Apuleium in libro qui περὶ ἑρμηνείας inscribitur tradidisse Varronem ἀξίωμα nuncupare proloquium (ed. P. Thomas p. 176). Verisimilius autem videtur hos, qui libellos de dialectica scripserunt, Varronis terminum e secundo potius libro disciplinarum qui est de dialectica cognovisse quam e vicesimo quarto libro de lingua Latina.

Wilmannsius argumentis ac rationibus explanatis fragmentum primum ex Augustini dialectica (c. V eqs.) ubi agitur de ratione, quae inter res et verba intercedat, primo Varro-

---

1) Cf. F. Mentz, de Aelio Stilone (comment. philol. Ienenses, vol. IV Lips. 1890) p. 11.

nis libro de lingua Latina tribuit (l. l. p. 36), quod Varro argumentum primi libri ita adumbret (de l. L. VIII 1): 'quom oratio natura tripertita esset, ut superioribus libris ostendi cuius prima pars, quemadmodum vocabula rebus essent imposita'. Deinde Wilmannsius alterum Augustini fragmentum Varronis libris II—IV attribuit (l. l. p. 23), cum hac in parte Augustini dialecticae (c. VI eqs.) eam rationem invenisse putaret, qua Varro libro altero contra etymologiae praestantiam disputavisset. Augustinus enim c. VI eqs. de arte Stoicorum agit, qui affirment omnium verborum rationem explicari posse et ab alio ad aliud esse transeundum, donec res (quia res et verba perpetuo confunduntur) similitudinem quandam cum sono verbi ostendant, ut ovium balatus vel tubarum clangor. Aliud vestigium Varronis Wilmannsius invenit in exiguo fragmento Nonii p. 450 M.: 'Varro asinos rudere, canes gannire, pullos pipare dixit', quod etiam ille Varronis alteri libro attribuit, cum Augustinus talia verba 'quasi cunabula verborum esse' dixisset, 'ut sensus rerum cum sonorum sensu concordaret' [1]). Varronis verba apud Nonium conveniunt quodammodo cum verbis Augustini: sed utrum ea ex ipso secundo libro Varronis delibata sint an ex aliis libris Varronis Wilmannsius expedire nequit. Denique ut condonemus Wilmannsio haec omnia, tamen numquam cum eo pro certo habebimus Augustinum libellum ex diversis Varronis partibus consarcinavisse [2]). Quam ob rem in recentioribus editionibus Varronis librorum haec Augustini dialecticae fragmenta, quippe quae Varronis doctrinam reddant, non certis Varronis libris attributa sunt, sed fragmenta incertae sedis sunt inserta.

Nuperrime autem vir doctissimus R. Reitzenstein in libro qui inscribitur: M. Terentius Varro und Iohannes Mauropus von Euchaita, denuo in quaestionem vocavit, ex quo Varronis

---

1) August. dial. ed. Crecelii c. VI p. 10, 9.

2) Cf. Funaioli, Grammaticae Romanae fragmenta (Lipsiae 1907) p. 187; Goetzii et Schoellii adnotationem ad p. 234, 14 edit. Varronis de lingua Latina (Lipsiae 1910) p. 301; Reitzenstein, M. Terentius Varro und Iohannes Mauropus von Euchaita (Lipsiae 1901) p. 76.

libro Augustinus materiam dialecticae sumpsisset. Atque probare contendit Augustinum totam dialecticam praeter exempla et locos auctorum allatos ex primo libro Varronis de lingua Latina descripsisse. Sed argumenta eius tum certius diiudicari poterunt cum ex Augustini libris quidquid ad eius studium artium liberalium explanandum alicuius momenti est proposuerimus.

§ 3.

Benedictini non solum Augustini libellum de grammatica [1]), sed etiam libellos de rhetorica et de dialectica pro spuriis habebant. Crecelius autem qui primus Augustini dialecticam recensuit et emendatam edidit [2]), in praefatione suae editionis sententia Benedictinorum de subditiva dialectica refutata Augustinum auctorem esse dialecticae omnibus argumentis perpensis evicit. Perlustremus nunc testimonia, quibus Augustinus testatur, quantopere in studio disciplinarum librorum vel artium liberalium versatus sit, et quanti momenti ad erudiendam discipuli mentem eis artibus attribuerit. Confess. IV 30: 'Et quid mihi proderat, quod omnes libros artium, quas liberales vocant, tunc nequissimus malarum cupiditatum servus per me ipsum legi et intellexi, quoscumque legere potui? et gaudebam in eis et nesciebam, unde esset quidquid ibi verum et certum esset. dorsum enim habebam ad lumen et ad ea, quae inluminantur, faciem: unde ipsa facies mea, qua inluminata cernebam, non inluminabatur. quidquid de arte loquendi et disserendi, quidquid de dimensionibus figurarum et de musicis et de numeris sine magna difficultate nullo homine tradente intellexi, scis tu, domine deus meus .... non enim sentiebam illas artes etiam ab studiosis et ingeniosis difficillime intellegi, nisi cum eis eadem conabar exponere et erat ille excellentissimus in eis, qui me exponentem non tardius sequeretur. ... quid ergo tunc mihi

---

1) Cf. Crecelii praef. ed. August. dial. p. 2 adn. 3; Keil, G. L. vol. V p. 496.

2) Augustini de dialectica liber (Progr. Elberfeld.) 1857.

proderat ingenium per illas doctrinas agile et nullo adminiculo humani magisterii tot nodosissimi libri enodati, cum deformiter et sacrilega turpitudine in doctrina pietatis errarem?' Idem de ordine I 8, 24: 'Nam eruditio disciplinarum liberalium modesta sane atque succincta, et alacriores et perseverantiores et comptiores exhibet amatores amplectendae veritati, ut et ardentius appetant, et constantius insequantur, et inhaereant postremo dulcius quae vocatur, beata vita'. Idem de ordine II 9, 26: 'Qui autem sola auctoritate contenti, bonis tantum moribus rectisque votis constanter operam dederint, aut contemnentes, aut non valentes disciplinis liberalibus atque optimis erudiri, beatos eos quidem cum inter homines vivunt, nescio quomodo appellem'. Idem Retract. I 6: 'Per idem tempus quo Mediolani fui, baptismum percepturus, etiam disciplinarum libros conatus sum scribere, interrogans eos qui mecum erant, atque ab huiusmodi studiis non abhorrebant; per corporalia cupiens ad incorporalia quibusdam quasi passibus certis vel pervenire vel ducere. Sed earum solum de grammatica librum absolvere potui, quem postea de armario nostro perdidi, et de musica sex volumina; quantum attinet ad eam partem quae rhythmus vocatur. Sed eosdem sex libros iam baptizatus, iamque ex Italia regressus in Africam scripsi; inchoaveram quippe tantummodo istam apud Mediolanum disciplinam. De aliis vero quinque disciplinis illic similiter inchoatis, de dialectica, de rhetorica, de geometria, de arithmetica, de philosophia, sola principia remanserunt, quae tamen etiam ipsa perdidimus, sed haberi ab aliquibus existimo' [1]).

Hanc disciplinarum rationem, qua Augustinus per corporalia ad incorporalia discipulos ducere sibi proposuerat, secundo libro de ordine 16, 44 ita exprimit: 'Cum enim artes illae omnes liberales, partim ad usum vitae, partim ad cognitionem rerum contemplationemque discantur, usum earum assequi difficillimum est, nisi ei qui ab ipsa pueritia ingeniosissimus, instantissime atque constantissime operam dederit' [2]).

---

1) Cf. etiam Soliloq. I 4, 9; II 11, 19; 17, 31; 18; 32.

2) Cf. Quintiliani inst. or. II 18.

Artes autem, quae non nisi ad usum vitae pertinent velut medicina, architectura, astrologia Augustino non idoneae esse videbantur, quae ad hanc finem discipulos perducerent, sed orbem disciplinarum concludere voluit 'incorporali' arte philosophiae [1]). Facile intellegitur quibus de causis astrologiam Augustinus disciplinis non inseruerit, quam artem tam multis locis (confess. VII 6; orat. 199, 3) quasi insanientem artem condemnavisset. Itaque loco astrologiae apud Augustinum philosophia prodisse videtur, quae quamquam a Varrone in disciplinis non numerata [2]) tamen iam ante Augustini aetatem artibus interposita esse videtur. Nam etiam in epistula Hieronymi philosophiam, quamvis ab eo doctrina iudicaretur haeretica [3]) disciplinis additam esse videmus (ep. 53, Migne vol. 22 p. 544): 'Taceo de grammaticis, rhetoribus, philosophis, geometris, dialecticis, musicis, astronomis, astrologis, medicis, quorum scientia mortalibus vel utilissima est' [4]).

Maxime dolendum est, quod principia philosophiae quae Augustinus Mediolani adumbravit non tradita sunt; summam tamen formam illius disciplinarum libri cognoscere possumus ex verbis positis in secundo libro qui de ordine inscribitur, ubi quasi prima lineamenta disciplinarum ducit. Haec autem res postea nobis est tractanda.

---

1) De ordine I 8, 24: 'deinde totus attollere in laudem puri et sinceri amoris, quo animae dotatae disciplinis et virtute formosae copulantur intellectui per philosophiam'.

2) Cf. Ritschel. opusc. III p. 371.

3) Prantl. Geschichte der Logik I p. 664.

4) Sed iam Tiberii aetate philosophia locum occupavit in disciplinis. Constat enim illa Ottonis Iahnii commentatione (act. ac. Saxon. a. 1850 p. 281 sqq.) in A. Cornelii Celsi amplo disciplinarum orbe, sex de philosophia libros infuisse, quorum argumenta Augustinus (praef. ad haeres. ad 'Quod deus vultum') adumbravit. Etiam alio loco Augustinus Celsi mentionem fecit philosophi, cuius cum sententia consentiret. Soliloq. I 12, 21 (Migne vol. 32 p. 881): 'Sed quia etsi nihil maius aliquando pertuli, tamen saepe cogitans quanto graviores possint accidere, cogor interdum Cornelio Celso assentiri, qui ait summum bonum esse sapientiam, summum autem malum dolorem corporis. Nec eius ratio mihi videtur absurda'. Quam ob rem probabile videri potest Augusti-

§ 4.

Causa qua illi qui disciplinarum libros composuerunt commoti sunt, ut philosophiam in artibus liberalibus numerarent, non modo, ut apud Augustinum, in eo posita est, quod discipulos ad incorporalia deducere volebant, sed potius quod illi eandem sententiam in disciplinis scribendis sequebantur ac Varro, qui dixit (Cassiodori de artib. ac discipl. liber litt. praef. Migne vol. 70 p. 1151): 'scire autem debemus, utilitatis alicuius causa omnium artium exstitisse principia'[1]. Augustinus autem in libris disciplinarum componendis omnino non id imprimis sibi proposuerat, ut animos discipulorum instrueret ad id, quod olim in vita amplexuri essent, sed in animo habebat artibus liberalibus discipulorum animum idoneum reddere ad percipiendam ecclesiae doctrinam atque fructus, quos eruditi homines studio artium liberalium perciperent, ad ecclesiae utilitatem conferre. Hanc sententiam pater ecclesiae qui vocatur cum aliis locis tum plane in secundo libro de doctrina christiana ita exprimit (40, 60): 'Sicut enim Aegyptii non solum idola habebant et onera gravia, quae populus Israel detestaretur et fugeret, sed etiam vasa atque ornamenta de auro et argento, et vestem, quae ille populus exiens de Aegypto, sibi potius tamquam ad usum meliorem clanculo vindicavit, non auctoritate propria, sed praecepto dei, ipsis Aegyptiis nescientes commodantibus ea, quibus non bene utebantur: sic doctrinae omnes gentilium non solum simulata et superstitiosa figmenta gravesque sarcinas supervacanei laboris habent, quae unusquisque nostrum duce Christo de societate gentilium exiens, debet abominari atque devitare; sed etiam liberales disciplinas usui veritatis aptiores et quaedam morum praecepta

---

num in libro disciplinarum de philosophia, cuius principia inchoaverat (Retr. I 6) Celsi libros de philosophia partim in suum usum conversurum fuisse.

1) De principiis *συμφέροντος* in artibus liberalibus agit E. Norden, Beiträge z. Gesch. d. griech. Philos., Annal. Fleckeis. vol. suppl. XIX, Lips. 1893, p. 427; et Hermae vol. XL p. 511 et 513.

utilissima continent, deque ipso uno deo colendo nonnulla vera inveniuntur apud eos; quod eorum tamquam aurum et argentum, quod non ipsi instituerunt, sed de quibusdam quasi metallis divinae providentiae, quae ubique infusa est, eruerunt, et quo perverse atque iniuriose ad obsequia daemonum abutuntur, cum ab eorum misera societate sese animo separat, debet ab eis auferre christianus ad usum iustum praedicandi evangelii'[1]).

Quam in formam Augustinus opus artium liberalium, si rem excogitatam perfecisset, redacturus fuerit, intellegere possumus e lineamentis, quibus in secundo libro de ordine singulas disciplinas designavit. Quibus libris de ordine Augustinus constituerat de magna quaestione disputare, 'utrum omnia bona et mala divinae providentiae ordo contineat'[2]). Sed cum cognovisset rem ad intellegendum valde esse difficilem, maluit de ordine studendi scribere, quomodo discipulus a corporalibus ad incorporalia posset progredi. Quam in rem nihil aliud ei utilius esse visum est, nisi artes liberales, quarum argumenta brevi conspectu in secundo libro adumbravit. Hoc summarium disciplinarum non iam omnes quidem novem Varronianas artes comprehendit — nam medicina et architectura in orbe artium desunt — sed astrologia, cuius pro loco Augustinus postea philosophiam inseruisse videtur, tunc non omissa est

§ 5.

In descriptione disciplinarum Augustinus facit Rationem hominis eam viam sequentem, quae primum per gradus ducat 'corporalium' disciplinarum grammaticae, dialecticae, rhetoricae, musicae, geometriae, astrologiae; his demum artibus ad usum vitae pertinentibus imbuta ratio parata fit 'incorporalem' disciplinam philosophiae comprehendere, quae ad

1) Cf. Cassiodori de inst. div. litt. 28 (Migne vol. 70 p. 1142); E. Norden, Kunstprosa p. 680: In dieser dienenden Stellung der Wissenschaften liegt der fundamentale Gegensatz des Mittelalters zum Humanismus ausgesprochen.

2) Retract. I 3, 1.

divinum ducat. Primus igitur gradus, quem hominis ratio scandit, grammatica est, quae ars ab Augustino (Soliloq. II 11, 19) nuncupatur: 'vocis articulatae custos et moderatrix disciplina'. Ratio, ut Augustinus ait (de ordine II 12, 35 Migne vol. 32 p. 1012), 'vidit esse imponenda rebus vocabula, id est significantes quosdam sonos; ut quoniam sentire animos suos non poterant, ad eos sibi copulandos sensu quasi interprete uterentur. Sed audiri absentium verba non poterant: ergo illa ratio peperit litteras, notatis omnibus oris ac linguae sonis, atque discretis. Nihil autem horum facere poterat, si multitudo rerum sine quodam defixo termino infinite patere videretur. Ergo utilitas numerandi magna necessitate animadversa est. Quibus duobus repertis, nata est illa librariorum et calculonum professio, velut quaedam grammaticae infantia, quam Varro litterationem vocat[1]), graece autem quomodo appelletur, non satis in praesentia recolo (36). Progressa deinde ratio animadvertit eosdem oris sonos quibus loqueremur, et quos litteris iam signaverat, alios esse qui moderato varie hiatu, quasi enodati ac simplices, faucibus sine ulla collisione defluerent, alios diverso pressu oris, tenere tamen aliquem sonum; extremos autem qui nisi adiunctis sibi primis erumpere non valerent. Itaque litteras hoc ordine quo expositae sunt, vocales, semivocales et mutas nominavit. Deinde syllabas notavit: deinde verba in octo genera formasque digesta sunt; omnisque illorum motus, integritas, iunctura, perite subtiliterque distincta sunt. Inde iam numerorum et dimensionis non immemor, adiecit animum in ipsas vocum et syllabarum varias moras; atque inde spatia temporis alia dupla, alia simpla esse comperit, quibus longae brevesque syllabae tenderentur. Notavit etiam ista, et in regulas certas disposuit (37). Poterat iam perfecta esse grammatica, sed quia ipso nomine profiteri se litteras clamat, unde etiam latine litteratura dicitur, factum est ut quidquid dignum memoria litteris mandaretur, ad eam necessario pertineret.

---

1) Cf. O. Froehde, Die Anfangsgründe der römischen Grammatik, Lipsiae 1892, p. 25.

Itaque unum quidem nomen, sed res infinita, multiplex, curarum plenior quam iucunditatis aut veritatis, huic disciplinae accessit historia, non tam ipsis historicis quam grammaticis laboriosa. Quis enim ferat imperitum videri hominem qui volasse Daedalum non audierit; mendacem illum qui finxerit, stultum qui crediderit, impudentem qui interrogaverit, non videri? aut in quo nostros familiares graviter miserari soleo, qui si non responderint quid vocata sit mater Euryali, accusantur inscitiae; cum ipsi eos, a quibus ea rogantur, vanos et ineptos, nec curiosos audeant appellare?'

Non secus etiam apud Martianum Capellam duo gradus grammaticae distinguuntur (III 229): '*Γραμματική* dicor in Graecia, quod *γραμμή* linea et *γράμματα* litterae nuncupentur mihique sit ad tributum litterarum formas propriis ductibus lineare. hincque mihi Romulus Litteraturae nomen ascripsit, quamvis infantem me Litterationem voluerit nuncupare sic ut apud Graecos *Γραμματιστική* primitus vocitabar, tunc et antistitem dedit et sectatores impuberes adgregavit'. Quem Martianus hoc loco Romulum appellat non alius scilicet est atque is quem Augustinus Varronem nuncupat [1]). Nullo alio loco Augustini disciplinarum nisi hic tam perspicue cognoscere possumus Augustinum e Varronis libro grammatico primo disciplinarum suam doctrinam de grammatica hausisse. Etiamsi Augustinus Varronem (§ 35) non laudavisset, tamen de fonte huius quidem partis non dubitavissemus. Nam apud Augustinum invenimus eadem grammatici officia, quae secundum Graecos Varro protulit [2]). Haec officia grammatici, quae quamquam inter se differunt tamen in universum sibi respondent, tradita sunt fr. 107 (G. S.): 'ars grammatica quae a nobis litteratura dicitur scientia est quae a poetis historicis oratoribusque dicuntur ex parte maiore. eius praecipua officia sunt quattuor ....: scribere legere intellegere probare'; et fr. 109 (G. S.): 'artis grammaticae officia .... constant par-

1) Ritschelii opusc. III p. 358; cf. Wilmanns l. l. p. 99; Varro, de lingua Latina edit. Goetz et Schoell p. 227; Funaioli l. l. p. 265.

2) Cf. Usener, Ein altes Lehrgebäude der Philologie, act. ac. Bavar. 1892 vol. IV p. 597 sqq.; O. Froehde l. l. p. 26 et 27.

tibus quattuor: lectione enarratione emendatione iudicio'. Prior pars definitionis grammaticae officium librarii vel ludimagistri, quae quasi ad infantiam grammaticae pertinet, a Varrone, ut Augustinus dicit, litteratio appellata est, altera pars, officium grammatici vel ut dici potest philologi [1]), a Varrone et ab Augustino litteratura nuncupatur. Quacum priore parte, quae artes scribendi et legendi vel lectionis et enarrationis comprehendit, Augustinus officium librarii (§ 35), cum altera parte, quae artes intellegendi et probandi vel emendationis et iudicii comprehendit, officium conectit grammatici.

§ 6.

Ratio hominis primo gradu disciplinarum arte grammatica imbuta admonetur, ut Augustinus ait (de ordine II 13, 38), 'quaerere atque attendere hanc ipsam vim, qua peperit artem: nam eam definiendo, distribuendo, colligendo, non solum digesserat atque ordinaverat, verum ab omni etiam falsitatis irreptione defenderat. Quando ergo transiret ad alia fabricanda, nisi ipsa sua prius quasi quaedam machinamenta et instrumenta distingueret, notaret, digereret, proderetque ipsam disciplinam disciplinarum, quam dialecticam vocant? Haec docet docere, haec docet discere; in hac se ipsa ratio demonstrat, atque aperit, quae sit, quid velit, quid valeat. Scit scire; sola scientes facere non solum vult, sed etiam potest'. Hunc secundum dialecticae gradum excipit tertius rhetoricae, cuius munus sit hominum animos non solum docere, sed etiam commovere et delectare. Haec munera rhetoricae Augustinus definit ita (§ 38): 'Verum, quoniam plerumque stulti homines ad ea quae suadentur recte, utiliter et honeste, non ipsam sincerissimam quam rarus animus videt veritatem, sed proprios sensus consuetudinemque sectantur, oportebat eos non doceri solum quantum queunt, sed saepe et maxime commoveri. Hanc suam partem quae id ageret, necessitatis pleniorem quam puritatis, refertissimo gremio deliciarum, quas

---

1) Cf. Wilmanns l. l. p. 101.

populo spargat, ut ad utilitatem suam dignetur adduci, vocavit rhetoricam'. Eandem sententiam de oratoris officiis Augustinus secutus est quarto libro de doctrina christiana (XII 27), quo in libro, ubicumque rhetoricam tractat, vestigia Ciceronis premit.

§ 7.

Hominis ratio quae hactenus in eis artibus versata est, quae ab Augustino rationabiles (§ 38), a posteris grammaticis trivium vocantur, tum ad ipsarum rerum divinarum contemplationem rapitur (§ 39): 'sed ne ratio de alto caderet, ut Augustinus ait, quaesivit gradus, atque ipsa sibi viam per suas possessiones ordinemque molita est. Desiderabat enim pulchritudinem, quam sola et simplex posset sine istis oculis intueri; impediebatur a sensibus. Itaque in eos ipsos paululum aciem torsit, qui veritatem sese habere clamantes, festinantem ad alia pergere, importuno strepitu revocabant. Et primo ab auribus coepit, quia dicebant ipsa verba sua esse, quibus iam et grammaticam et dialecticam et rhetoricam fecerat. At ista potentissima secernendi cito vidit quid inter sonum et id cuius signum esset, distaret. Intellexit nihil aliud ad aurium iudicium pertinere, quam sonum, eumque esse triplicem, aut in voce animantis, aut in eo quod flatus in organis faceret, aut in eo quod pulsu ederetur. Ad primum pertinere tragoedos vel comoedos, vel choros cuiuscemodi, atque omnes omnino qui voce propria canerent, secundum tibiis et similibus instrumentis deputari, tertio dari citharas, lyras, cymbala, atque omne quod percutiendo canorum esset'. Ratio autem progrediens videbat (§ 40) hanc materiam (musicae) esse vilissimam nisi certa dimensione temporum, et acuminis gravitatisque moderata varietate soni figurarentur. Recognovit hinc esse illa semina quae in grammatica, cum syllabas diligenti consideratione versaret, pedes et accentus vocaverat' [1]). Tum

1) Augustini de musica l. I 1, 1 M. vol. 32 p. 1083: 'Nomen huius pedis (pyrrhichium) a quo, nisi a grammatico didicisti? Ergo de omnibus huiusmodi sonis grammaticus iudicabit'.

Augustinus de origine metrici versus sententiam profert, quam nimirum etiam e Varronis doctrina emanavisse postea videbimus. 'Et quia, Augustinus ait (§ 40), in ipsis verbis brevitates et longitudines syllabarum prope aequali multitudine sparsas in oratione attendere facile fuit, tentavit pedes illos in ordines certos disponere atque coniungere; et in eo primo sensum ipsum secuta, moderatos impressit articulos, quae et caesa et membra nominavit. Et ne longius pedum cursus provolveretur, quam eius iudicium posset sustinere, modum statuit unde reverteretur, et ab eo ipso versum vocavit'. Ad intellegendum hunc locum bene nos adiuvat Varronis definitio versus, quam Marius Victorinus (G. L. VI 55, 11) servavit (fr. 91 G. S.): 'versus est, ut Varroni placet verborum iunctura quae per articulos et commata ac rhythmos modulatur in pedes ... abusiva vel haec appellatio habebitur, cum sincera et propria significatione Graecorum versus herous hexameter epos dicatur. apud nos autem versus dictus est a versuris, id est a repetita scriptura ex ea parte in quam desinit. primis enim temporibus, sicut quidam adserunt, sic soliti erant scribere, ut cum a sinistra parte initium facere coepissent et duxissent ad dextram, sequentem versum a dextra parte inchoantes ad sinistram perducerent, quem morem ferunt custodire adhuc in suis litteris rusticos'...

Totus Augustini locus supra positus redolet hanc Varronis doctrinam, quam rursum sapimus Augustini disciplinarum libro de musica V 3, 4, ubi denuo de etymologia vocabuli 'versus' agit, non autem idem sentit ac de ordine II 14, 40, quo loco originem vocabuli 'versus' a revertendo ducit [1]); sed quinto libro de musica (3, 4) Augustinus opinatur originem vocabuli 'versus' ductam esse e contrario, quod versus duobus membris conficiatur, quorum neutrum in alterius loco salva lege numerorum constituatur, quam ob rem versus, quia verti non possit, versus vocetur. Haec dissensio de veriloquio vocabuli 'versus' in libro de ordine et in libro de musica

---

1) De ordine II 40: 'Et ne longius pedum cursus provolveretur, quam eius (rationis) iudicium posset sustinere, modum statuit unde reverteretur, et ab eo ipso versum vocavit'.

nobis ita videtur esse explicanda: lineamenta disciplinarum in secundo libro de ordine Augustinus adumbravit ex tempore, quod conicimus ex Augustini verbis (II 12, 35): 'grammaticae infantia, quam Varro litterationem vocat, graece autem quomodo appelletur, non satis in praesentia recolo'. Cum autem Martianus Capella, qui accuratius Varronis verba reddit. Graecum verbum, quod Augustinus non in praesentia recolit, (III 229) γραμματιστική nuncupet, Augustinus Varronis doctrinam e memoria exposuisse videtur. Atque ita fieri potuit, ut Augustinus in componendis de ordine libris priorem etymologiam, quae ita ut Varro versus a revertendo ducit (fr. 91 G. S.) memoria teneret, alteram etymologiam huius verbi e contrario ductam oblivione neglegeret. Aliter autem res se habuit in libris de musica. Doctrinam enim, quam his libris Augustinus profert, imprimis quod in quinto libro de ratione agit, quae inter rhythmum, metrum, versum intercedat, fere totam e Varronis libris disciplinarum de musica fluxisse Henricus Weil [1]) vidit et evicit (Fleckeiseni annal. 1862 p. 336 et 344). Quaestiones autem, quae hoc libro de musica ab Augustino tractantur, tam difficiles sunt, ut Augustinus de eis non ex tempore disserere potuerit, sed hanc totam rem e Varronis libro, ubi etymologiam vocabuli 'versus' e contrario ductam invenit, descripserit.

§ 8.

Ratio hominis disciplinis 'ad aures' pertinentibus imbuta, tunc ad 'opes oculorum', ut Augustinus quintam artem geometriae appellat (§ 42) progressa est. 'Sensit ratio, Augustinus ait (l. l.), nihil aliud quam pulchritudinem sibi placere, et in pulchritudine figuras, in figuris dimensiones, in dimensionibus numeros; quaesivitque ipsa secum, utrum ibi talis linea talisque rotunditas, vel quaelibet alia forma et figura esset, qualem intelligentia contineret. Longe deteriorem invenit, et nulla ex parte quod viderent oculi cum eo quod

---

1) Weilius l. l. demonstrat Varronis verba apud Gellium XVIII 15, 2 non explicari posse nisi Augustini in hoc libro de musica doctrina.

mens cerneret, comparandum. Haec quoque distincta et disposita in disciplinam redegit, appellavitque geometriam'. Proprius terminus 'opes oculorum', quo geometria designatur, descriptio esse videtur termini, quo Varro usus est. Apud Gellium enim legimus (XVI 18): 'pars quaedam geometriae ὀπτικὴ appellatur, quae ad oculos pertinet, pars altera, quae ad auris, κανονικὴ vocatur, qua musici ut fundamento artis suae utuntur'. . . . Ritschelius, qui totum locum accurate tractat (opusc. III p. 359, 380, 385), hanc definitionem geometriae ad Varronem refert. Cum autem viderimus, Augustinum disciplinas in secundo libro de ordine adumbrare, Varronis terminus ὀπτικὴ τέχνη, quem Augustinus memoria tenuit, eum nescio quomodo commovisse videtur, ut quae ad geometriam pertinent 'opes oculorum' nuncuparet.

Antequam ratio ad summum gradum disciplinarum philosophiae se vertit, 'motus eam caeli multum movebat et ad se diligenter considerandum invitabat' (§ 42). Tandem hominis ratio, omnibus disciplinis, quae ad usum vitae pertinent et corporalia comprehendunt imbuta, parata est illum gradum scandere disciplinarum, quo ad comprehendendam summam disciplinam quae est philosophia progredi potest. Duas huius scientiae partes Augustinus distinguit (§ 47), unam de anima, alteram de deo: 'prima efficit ut nosmetipsos noverimus; altera, ut originem nostram; illa nobis dulcior, ista carior; illa nos dignos beata vita, beatos haec facit; prima est illa discentibus, ista iam doctis'. Illa duplex quaestio de anima et de deo rursum occurrit Augustini primo libro soliloquiorum (II 7): 'Deum et animam scire cupio. Nihilne plus? Nihil omnino'. Ad deum igitur Augustinus discipulum hoc ordine, hac via, per hos gradus disciplinarum ducere voluit, sed ita ut discipulus idoneus fieret (§ 47) ad intellegendum ordinem rerum, id est, ad dinoscendos duos mundos, unum, qui sit sensibilis, alterum, qui sit intellegibilis et ipse parens universitatis.

Quamquam Augustinus, cum retractationes scriberet, negavit (Retract. I 3, 2) se ex Platonis vel ex Platonicorum persona sic de duobus mundis scripsisse — nam postea nimia

pietate valde dolebat quod duos mundos in libro de ordine distinxisset — tamen manifestum est hanc eius doctrinam non multum a Platone esse alienam.

§ 9.

His generatim expositis nunc de forma, qua Augustinus in disciplinis componendis usus est, nobis est disserendum. Augustinus, quippe qui disciplinis maxime adulescentes, in scholarum studiis versantes, docere in animo haberet [1]), etiam formam compositionis huic consilio ita accommodavit, ut sui libri disciplinarum ad usum scholarum idonei essent. Libris de musica rem Augustinus tractat forma dialogi inter magistrum et discipulum, aliis autem libris, quorum principia remanserunt, forma quidem sermonis, sed non dialogi propria forma adhibetur. Tamen Crecelius censebat (l. l. p. 2) Augustinum, illos libros disciplinarum, si ad finem perduxisset, dialogi forma compositurum fuisse, quod Augustinus aliquotiens fictam personam in illis libris allocutus esset [2]). Nos quidem his locis formas quidem sermonis inter magistrum et discipulum videmus, sed non pro certo habemus Augustinum hos libros praeter illos de musica forma dialogi compositurum fuisse, quod fragmenta disciplinarum illam formam orationis prae se ferunt, quae diatribe appellatur. Hoc enim genus diatribae quod ex dialogo originem habuit [3]) propria erat forma isagogicarum commentationum, quae, ut E. Norden (Hermae vol. 40 p. 518) demonstrat, imprimis a scholasticis occidentalis ecclesiae quinti saeculi usurpata est. Cum vero Augustini libelli de dialectica forma compositionis cum isagogico genere concordet, nobis non persuasum est Augustinum hunc libellum forma dialogi componere sibi proposuisse.

---

1) Cf. initium libri sexti Augustini de musica.

2) Velut de dial. I p. 5, 3; V p. 7, 10; VI p. 8, 13; 9, 15, 17; 11, 13; 12, 4, 5, 6, 7; VIII p. 14, 19; 15, 10; X p. 17, 14; 17, 20; 19, 24.

3) Cf. Wilamowitz, Philol. Unters. IV (1881) p. 292 sqs.; E. Norden, Kunstprosa p. 129; R. Hirzel, Dialog I p. 496.

§ 10.

Antequam locos Augustini libelli qui est de dialectica cum aliis comparemus, quod ad fontem, e quo Augustinus hausit, aperiendum nos adiuvat, dicendum nobis est quibus signis certe iudicandi nos ad Augustini fontem ducamur. Cum Augustinus non totam dialecticam sed solum primae partis, quae vocatur de loquendo dimidium confecerit, libri de dialectica velut Cassiodori et Isidori, qui quidem Varronis doctrinam ex parte servaverunt, hanc autem Augustini primam partem de loquendo omittunt, non multum ad inquirendum Augustini fontem praebent [1]). Martianus Capella autem, qui Varronem in disciplinarum libris, qui de nuptiis philologiae et Mercurii inscribuntur, nonnullis locis laudat, et, ut constat, magnam suae doctrinae partem e Varronis libris disciplinarum hausit, etsi non multa, tamen graviora cum Augustini dialectica convenientia, quae ab uno fonte fluxisse videntur, praebet [2]). In quarto libro disciplinarum de dialectica componendo Martianus imprimis Apulei libro *περὶ ἑρμηνείας* usus est [3]). Loci horum librorum, qui inter se conspirant, in editione Apuleiani libri a Paulo Thomas facta adnotati sunt.

Hic fortasse quaerat quispiam, cum Martianus aequalis Augustini fuisse videatur [4]), et hic, cum dixerit (conf. IV 30) se omnes libros artium liberalium legisse et intellexisse, utrum Martianus ex Augustini libris partim hauserit, ut Crecelius (l. l. p. 5 adn. ad c. I) censebat, an Augustinus e Martiani. Ubi convenientia inter eos invenimus, talia sunt, ut ex uno quidem fonte delibata esse videantur, sed non ut alius ab alio descripsisse videatur. Martianus enim Graecum nomen vocabuli, quod Varro litterationem vocat, adhibet (III 229), Augustinus illud non iam memoria

---

1) Qua ratione Cassiodori et Isidori disciplinarum libri conveniant et ex Varronis disciplinis pendeant, accurate explicat E. Holzer, progr. quod inscribitur Varroniana (Ulmae 1890) p. 13 sqs.

2) De ratione, quae inter Martianum et Varronem intercedit, Fr. Eyssenhardt praef. ed. Martiani disciplinarum p. XXXI disputat.

3) Cf. Prantl l. l. p. 673.

4) Cf. Eyssenhardtii praef. p. VIII.

tenuit [1]). Cum igitur uterque Varronis termino usus esset, sed solum Martianus Graecum nomen γραμματιστικὴν exposuisset, Augustinus Martiani librum non inspexit. Deinde constat Martianum partim e Varronis disciplinarum libro de dialectica partim ex Apulei libello περὶ ἑρμηνείας doctrinam dialecticae exscripsisse; cuius scriptoris ubi vestigia in Martiani dialectica apparent, nulla inter Martiani et Augustini libellos convenientia invenitur. Ergo et Martianus Capella et Augustinus ex uno quidem fonte hauserunt, non alter ab altero partes dialecticae transcripsit. Sed age nunc diligentius inquiramus, quid Augustinus libello de dialectica in Varronianis fundamentis posito tractaverit, usque ad quam partem rem propositam adduxerit, quid ex re ipsa ad eruendum fontem reperire possimus.

§ 11.

Monachi ordinis Benedictini, qui Augustini opera ediderunt [2]), eius libellum inscripserunt: 'principia dialecticae', ac fere omnes qui huius libelli mentionem fecerunt, illum non laudaverunt nisi ex Benedictinorum inscriptione. Haec autem inscriptio est falsa; nam nullo testimonium codicum aut Augustini ipsius confirmatur. In vetustissimo Darmstadiensi codice (D) septimo saeculo scripto (Crecelius l. l. p. 3) idem libellus C. Chirio Fortunatiano tribuitur, et hoc modo inscribitur: C. Chirii Fortunatiani artis rhetoricae scholicae lib. III explicit. Incipit lib. IV de dialectica. In Bernensi codice (B I) octavo saeculo scripto (H. Hagen, Fleckeis. annal. 1872 p. 758) legitur: incipit Aurelii Augustini de dialectica. In secundo Bernensi codice (B II) undecimo saeculo scripto (Crecelius l. l. p. 3) legitur: incipit tractatus sci Aug̃ in dialect . . . (Hagen l. l. p. 760). Eiusdem codicis subscriptio est: explicit felicite (sic) tractatus beati Augustini in dialectica. Augustinus igitur ut lectiones codicum testantur libellum non inscripsit nisi de dialectica. Facile autem est

---

1) De ordine II 12, 35.

2) Parisiis 1679 sqq.

cognoscere qua via perversa inscriptio editionem Benedictinorum invaserit. Benedictini enim legerunt Retract. I 6 quod Augustinus de incohatis libris disciplinarum dixerat: 'de dialectica, de rhetorica, de geometria, de arithmetica, de philosophia sola principia remanserunt'. Qui busex verbis monachi lectionibus codicum neglectis verbum 'principia', quo Augustinus prima rudimenta sui operis significaverat, quasi inscriptionem sumpserunt et inscripserunt hoc modo illum libellum 'principia dialecticae'.

§ 12.

Commentatio Augustini de dialectica, ut fere omnes quae ad isagogicum genus pertinent[1]), a definitione dialecticae orditur: c. I p. 5 (Crecelii ed.) 1 'Dialectica est bene disputandi scientia'. Definitio Stoicorum quodam modo plenior et accuratior a Diogene Laertio VII 42 traditur: *τὴν διαλεκτικὴν τοῦ ὀρθῶς διαλέγεσθαι περὶ τῶν ἐν ἐρωτήσει καὶ ἀποκρίσει λόγων· ὅθεν καὶ οὕτως αὐτὴν ὁρίζονται, ἐπιστήμην ἀληθῶν καὶ ψευδῶν καὶ οὐδετέρων.* Statim sequitur apud Augustinum explicatio verborum quibus disputatur: 'disputamus autem utique verbis'. Quorum duo genera distinguuntur: 'simplicia aut coniuncta'[2]). Qua divisione res, de qua ab Augustino in dialectica disseritur, proposita est. Sequitur definitio verborum simplicium et coniunctorum: 'simplicia sunt quae unum quiddam significant, ut cum dicimus homo, equus, disputat, currit. Nec mireris, quod disputat quamvis ex duobus compositum sit tamen inter simplicia numeratum est. Nam res definitione illustratur. Dictum est enim id esse simplex quod unum quiddam significet; itaque hoc includitur hac definitione, qua non includitur cum dicimus loquor. quamvis enim unum verbum sit, non habet tamen simplicem significationem, siquidem significat etiam personam quae

---

1) De definitionibus in libris isagogicis agit E. Norden, Hermae vol. 40 p. 509. De doctrina definitionum apud veteres agit H. Steinthal, Gesch. d. Sprachw. (Berolini 1890) II p. 165 eqs. et p. 178.

2) Eandem divisionem apud Stoicos invenimus: Diog. Laert. VII 63 *τῶν δὲ λεκτῶν τὰ μὲν λέγουσιν εἶναι αὐτοτελῆ οἱ στωικοί, τὰ δ᾽ ἐλλιπῆ.*

loquitur. ideo iam obnoxium est veritati aut falsitati, nam et negari et adfirmari potest. omnis itaque prima et secunda persona verbi quamvis singillatim enuntietur, tamen inter coniuncta verba numerabitur, quia simplicem non habet significationem. siquidem quisquis dicit 'ambulo' et ambulationem facit intellegi et se ipsum qui ambulat, et quisquis dicit 'ambulas' similiter et rem quae fit et eum qui facit significat. At vero qui dicit ambulat nihil aliud quam ipsam significat ambulationem. quamobrem tertia persona verbi semper inter simplicia numeratur et nondum aut adfirmari aut negari potest, nisi cum talia verba sunt, quibus necessario cohaeret personae significatio consuetudine loquendi, ut cum dicimus pluit vel ninguit, etiamsi non addatur quis pluat aut ninguat, tamen quia intellegitur non potest inter simplicia numerari' [1]). Eadem definitio simplicium verborum etiam in Martiani Capellae dialectica occurrit, sed non in Apulei libello *περὶ ἑρμηνείας*. Quam ob rem pro certo habere liceat Martianum et Augustinum doctrinam de simplicibus verbis ex uno et eodem fonte hausisse. Martianus enim de hac re sic agit IV 388: 'Verbum est quod aliquid significat et per tempora flecti potest, ut Cicero nomen, disputat verbum. haec a se in vicem separata non nihil quidem significare, verum tamen vel falsum dici non possunt. cum autem fuerint coniuncta, iam possunt et adfirmari et negari, ut 'Cicero disputat' iam dici potest 'Cicero non disputat'. prima persona significat aliquid quod iam affirmari et negari possit et in hominem tantum cadit. in ea autem intellegitur nomen, etiam si non dicatur, ut disputo [totum] plenum est, etiam si non dicas

1) Diog. Laert. VII 63 *ἐλλιπῆ μὲν οὖν ἐστι τὰ ἀναπάρτιστον ἔχοντα τὴν ἐκφοράν, οἷον Γράφει· ἐπιζητοῦμεν γάρ, Τίς; αὐτοτελῆ δ' ἐστὶ τὰ ἀπηρτισμένην ἔχοντα τὴν ἐκφοράν. οἷν Γράφει Σωκράτης.* Crecelius in adnotatione confert Aristot. categ. 2, 16 *τῶν λεγομένων τὰ μὲν κατὰ συμπλοκὴν λέγεται, τὰ δ' ἄνευ συμπλοκῆς· τὰ μὲν οὖν κατὰ συμπλοκὴν οἷον ἄνθρωπος τρέχει. ἄνθρωπος νικᾷ· τὰ δ' ἄνευ συμπλοκῆς οἷον ἄνθρωπος, βοῦς, τρέχει, νικᾷ.* Quae verba in Augustino subditicio libro de decem categoriis in hunc modum vertuntur: scire etiam debemus verba aut simplicia esse aut certe coniuncta. Coniuncta sunt equus currit; simplicia, cum haec separantur et dicuntur singula, ut equus, currit.

'ego'. item secunda persona et ipsa iam veritati aut falsitati obnoxia est, sed etiam ipsa in hominem cadit, et ei nec recte dicimus 'disputas', qui nec audire nec intellegere quod dicitur potest. ergo et hoc cum dicatur sine nomine, tamen ibi nomen intellegitur. aliter figurate utimur sive prima sive secunda persona ut aut loquentem eum inducas qui loqui non potest, aut ad eum convertamus orationem, qui neque audire neque intellegere potest. tertia vero persona non hominis tantum est, sed aliarum etiam rerum, et simul ac dicta fuerit non continuo intellegitur, nisi forte de deo dicatur aliquid, quod de eo solo potest intellegi, ut cum dicimus 'pluit': iam potest esse verum aut falsum, cum non addamus nomen: notum est enim qui pluat. cum vero dicimus 'disputat', cum aliquid iam significet, non tamen verum aut falsum dici potest, si nomen non addetur. et quamvis de homine hoc tantum possit intellegi, quia non de uno dici potest, necessario subdendum est nomen'. Coniuncta verba ab Augustino ita definiuntur (II p. 5, 16): 'coniuncta verba sunt quae sibi conexa res plures significant, ut cum dicimus 'homo ambulat' aut 'homo festinans in montem ambulat' et siquid tale'. Deinde distinguuntur verba coniuncta quae sententiam comprehendunt velut: 'homo festinans in montem ambulat', et quae sententiam non comprehendunt et ad completionem sententiae aliquid exspectant, velut: 'homo festinans in montem [1]).

Tum duae species verborum coniunctorum, quae sententiam comprehendunt, distinguuntur II p. 6, 3: 1. quae vero et falso obnoxia, velut: 'omnis homo ambulat' aut 'omnis homo non ambulat'. 2. quae sententias sic comprehendunt, 'ut licet perficiat propositum animi adfirmari tamen negarive non possit, ut cum imperamus, cum optamus, cum execramur et similia'. Cum hoc loco conferri potest quod Martianus Capella dicit IV 391: 'Sunt etiam sententiae quae quamvis constent ex nomine et verbo adfirmari tamen aut negari non possunt. quae non proloquia sed eloquia dici non nullis placuit,

1) Aristot. de interpr. IV 11.

ut est modus imperativus. cum dicimus 'curre', iam plena sententia est. nam nec solum intellegi sed etiam fieri potest, quod dicis. negari tamen non potest. . . . hoc facit et optativus modus. cum enim plena sit sententia cum dicamus 'utinam scribam, utinam non scribam', non potest hinc nasci quaestio utrum scribat'. Hac in re Augustinus et Martianus rursum consentiunt atque etiam partim verbum e verbo fontem reddiderunt. Tales sententiae autem, quibus nihil adfirmatur aut negatur, disputatorem, ut Augustinus ait (III p. 6, 9) non requirunt, itaque in dialectica non tractantur.

Sequuntur definitiones sententiarum simplicium et coniunctarum. III p. 6, 10: 'simplices (sententiae) sunt, quae sine ulla copulatione sententiae alterius enuntiantur' velut: 'omnis homo ambulat'; 'coniunctae sunt, de quarum copulatione iudicatur', velut 'si ambulat, movetur'. Sed cum de coniunctione sententiarum iudicium fit, tamdiu est, donec perveniatur ad summam'. Summa coniunctarum sententiarum definitur (III p. 6, 13): 'summa est quae conficitur ex concessis' velut: 'si ambulat, movetur' vel 'homo iste ambulat, simplex sententia est, quam si concessero et adiunxerit aliam 'quisquis autem ambulat movetur' et hanc etiam concessero. ex hac coniunctione sententiarum . . . illa summa sequitur quae iam necessario concedatur: id est 'homo iste igitur movetur'.

§ 13.

Quod Augustinus hactenus disseruit, nihil est aliud nisi summa forma totius dialecticae. Paucis verbis exordio commentationis ea omnia complexus est, quorum singulas partes (c. IV p. 6, 21 eqs.) artis vocabulis nuncupat et explicat. Singulae partes sunt primae duae:

I 'Una de his quae simpliciter dicuntur, ubi est quasi materia dialecticae' velut: homo, equus, disputat, currit, quod c. I 1—15 tractatum est.	prima pars vocatur de loquendo

II 'Altera de his quae coniuncta dicuntur, ubi iam quasi opus apparet' in tres partes dividitur:

<table>
<tr><td>1. 'separata enim coniunctione verborum quae non implet sententiam illa, quae sic implet sententiam . . . ut nondum faciat quaestionem vel disputatorem requirat' (ut cum imperamus, cum optamus eqs. c. II 4—9).</td><td>secunda pars vocatur de eloquendo</td></tr>
<tr><td>2. 'illa, quae sic implet sententiam, ut de sententiis simplicibus iudicetur' velut: omnis homo ambulat.</td><td>tertia pars vocatur de proloquendo</td></tr>
<tr><td>3. 'illa, quae sic comprehendit sententiam, ut de ipsa etiam copulatione iudicetur, donec perveniatur ad summam'.</td><td>quarta pars vocatur de proloquiorum summa</td></tr>
</table>

Fere eadem dispositio dialecticae occurrit apud Martianum Capellam, qui etiam illius hominis mentionem facit cuius per libros disciplinarum et dialectica et artis nomina grammaticis sequentium saeculorum tradita sunt. Martianus Dialecticam ipsam prodeuntem et sic exordientem inducit (IV 335): 'ni Varronis mei inter Latiares glorias celebrati mihi eruditio industriaque suppeteret, possem femina Doricae nationis apud Romuleae vocis examina aut admodum rudis aut satis barbara reperiri. quippe post Platonis aureum flumen atque Aristotelicam facultatem Marci Terentii prima me in Latinam vocem pellexit industria ac fandi possibilitatem per scholas Ausonias comparavit . . . quippe in dicione mea iureque consistunt sex normae, quis constant ceterae disciplinae. nam prima est de loquendo, secunda de eloquendo, tertia de proloquendo, quarta de proloquiorum summa, quinta de iudicando quae pertinet ad iudicationem poetarum et carminum, sexta quae dicenda rhetoribus commodata est'. Quamquam Martianus Dialecticam laudantem facit Varronem Romanorum primum qui scripserit dialecticam, deinde easdem partes dialecticae atque Augustinus proponit, ut fons ex quo

uterque divisionem dialecticae sumpserit admodum apertus videatur, nihilominus experiri debemus num certius quid statui possit.

Martianus et Augustinus tertiam partem dialecticae nuncupant de proloquendo, quartam de proloquiorum summa; hoc loco ille unicus terminus 'proloquium' occurrit, quem iam vidimus (§ 2) non reperiri nisi apud Varronem, Arnobium, Martianum, Augustinum. Sed etiam alium terminum, quo secunda pars dialecticae vocatur 'de eloquendo' Augustinus et Martianus e Varronis libro sumpserunt. Martianus enim de hac parte dialecticae dicit (IV 391): 'sunt etiam sententiae quae quamvis constent ex nomine et verbo, adfirmari tamen aut negari non possunt. quae non proloquia sed eloquia dici non nullis placuit. ut est modus imperativus ... et optativus modus'. Cum autem Martianus affirmet hunc terminum 'eloquium' nonnullis placuisse, id est hoc artis nomen a nonnullis adhibitum esse, aliquod vestigium saltem huius termini apud alios exspectamus; sed, ut videtur, apud nullos hic terminus occurrit. Unde efficimus terminum 'eloquium' non secus ac terminum 'proloquium' peculiarem esse Varronis et ex eius dialectica excerptum. Dispositiones dialecticae Augustini et Martiani usque ad huius quintam partem de iudicio poetarum et carminum et ad sextam partem, 'quae dicenda rhetoribus commodata est', inter se conspirant. Utrum Martianus etiam has extremas partes e Varrone fonte hauserit et qua de causa Augustinus eas omiserit, certum quidem iudicium proferre non audemus, nisi quod coniectura de hac re uti possumus. Martianus extremis partibus argumenta dialecticae proponit, quae etsi ab Augustino in dialectica attinguntur [1]) tamen non per se tractantur. Eae igitur partes, ut ita dicam, per abusionem in dispositione dialecticae artis a Martiano numeratae sunt, de quibus bene disputare ad facultatem dialectici pertinet, non autem ad dialecticam

1) August. dial. c. X p. 18, 13 sqq. et c. VII, ubi de vi verborum disputatur. Ita etiam in Stoicorum dialectica hae partes attinguntur: cf. Diog. Laert. VII 42.

disciplinam[1]. Quam ob rem Martianus qui priores partes de loquendo, de eloquendo, de proloquendo, de proloquiorum summa definit et earum particulas expedit, quintae et sextae partis definitiones omittit et nullo sui libelli loco has partes rursum in quaestionem vocat. Coniciendum igitur est Martianum in libro, quo ad componendam suam dialecticam usus est, has partes ad facultatem quidem dialectici, sed non ad dialecticam disciplinam pertinentes invenisse, atque eas temere dialecticae attribuisse dispositioni.

§ 14.

Partibus igitur dialecticae propositis Martianus ad enumerandas et explicandas singulas res progreditur. Sequuntur § 355 eqs. definitiones aequivoci, univoci, plurivoci verbi, et § 364 epitome decem categoriarum, quae praedicationes nuncupantur. Martianus ubicumque in dialectica Varronis doctrinam prae se fert ex eodem fonte atque Augustinus videtur hausisse: ubi autem ex Apulei *περὶ ἑρμηνείας* libello et ex Porphyrii isagoge doctrinam suam videtur ducere, convenientia cum Augustini dialectica inveniuntur nulla. Velut Martianus iisdem Varronianis partibus terminisque atque Augustinus dialecticam divisit, tum statim huius divisionis particulas ex alio fonte hausit. Ut autem rationem, quae inter Martianum et eos intercedat, quibus magnam partem sui libelli qui est de dialectica debet, demonstremus, satis est docere, quid Martianus de prima parte dialecticae, quae ab Augustino quoque maxima ex parte confecta est, agat.

In prima parte Martiani dialecticae de loquendo quaeritur (IV 339): 'quid sit genus, quid forma, quid differentia, quid accidens, quid vero proprium, quid definitio, quid totum, quid pars, qui in dividendo modus, qui in partiendo, quid sit aequivocum, quid univocum, quid ut ita dicam plurivocum?' . . . Inter primas has partes inveniuntur quae vocantur quinque voces[2]: genus forma differentia accidens proprium,

1) August. dial. V p. 8, 26.
2) Cf. Prantl l. l. p. 584, 627, 673, 674.

quae ad Porphyrii γένος εἶδος διαφορὰν συμβεβηκὸς ἴδιον redeunt [1]). Illas quinque voces Apuleius ita explicat (VI 270, ed. Thomas p. 182, 4): 'ergo unaquaeque propositio per omnes significationes reperienda est, an etiam conversa [2]) congruat. nec universe verae sunt istae, sed quinque solae: aut enim proprietas declaratur alicuius aut genus aut differentia aut finis aut accidens'. Si exempla, quibus Apuleius quinque voces illustrat cum Martiani exemplis comparaverimus, fere eadem invenimus.

Apuleius explicat 'proprium' exemplo 'cachinnabile';
Martianus (§ 348) 'risus'.
Apuleius explicat 'genus' exemplo 'animal';
Martianus (§ 344) 'animal'.
Apuleius explicat 'differentiam' exemplo 'rationale';
Martianus (§ 346) 'rationabile'.
Apuleius explicat 'definitionem' [3]) exemplo 'animal rationale mortale';
Martianus (§ 349) 'animal rationale mortale'.
Apuleius explicat 'accidens' exemplo 'orator';
Martianus (§ 347) 'rhetorica'.

Quamquam Apuleius, ut Prantl l. l. p. 579 probavit, libellum περὶ ἑρμηνείας ex aliquo Graeco libro in usum scholarum transtulit [4]), tamen probabile videri potest Apuleium etiam Varronis libro de dialectica esse usum, quia apud eum mentio fit Varronis termini 'proloquium' (I 265 ed. Thomas p. 176), quem praeter Arnobium Martianum Augustinum nemo adhibuit. Sed neque Varronis termino Apuleius

1) Porphyrii Isagoge 1: Ὄντος ἀναγκαίου, Χρυσαόριε, καὶ εἰς τὴν τῶν παρὰ Ἀριστοτέλει κατηγοριῶν διδασκαλίαν τοῦ γνῶναι τί γένος καὶ τί διαφορὰ τί τε εἶδος καὶ τί ἴδιον καὶ τί συμβεβηκός eqs.

2) De termino conversionis cf. Prantl l. l. p. 584. Terminus primum in dialectica apud Apuleium apparere videtur, deinde apud Martianum Capellam IV 378 et 397.

3) De termino definitionis quem Apuleius quinque vocibus inserit cf. Prantl l. l. p. 515 eqs.

4) Cf. etiam O. Iahn comment. Ber. d. sächs. Ges. phil. II (1850) p. 283.

usus est — nam e Peripateticorum artis vocabulo ‘πρότασις’ tralatum terminum qui est ‘propositio’ adhibet — neque ex ullo vestigio effici potest Apuleium e Varronis dialectica aliquam partem descripsisse [1]). Sed redeat unde deflexit dissertatio, Augustinus qui post dispositionem dialecticae singulas partes tractare sibi proposuerat, primam partem de loquendo ad dimidium perduxit, quam nunc recenseamus.

§ 15.

Prima pars dialecticae de loquendo simplicia verba comprehendit; itaque Augustinus a definitione verbi orditur (V p. 7, 6): ‘verbum est uniuscuiusque rei signum, quod ab audiente possit intellegi, a loquente prolatum [2]). Sequuntur definitiones rei, signi, loquendi: ‘res est quidquid vel sentitur vel intellegitur vel latet. Signum est quod et se ipsum sensui et praeter se aliquid animo ostendit. Loqui est articulata voce signum dare; articulatam autem dico quae comprehendi litteris potest’ [3]). Quod autem ad articulatam vocem pertinet, vel sonum verbi, de hac Augustinus non vult disserere in dialectica. Sed eius verba de hac re nos doceant (V p. 7, 11): ‘omne verbum sonat, cum enim est in scripto, non verbum, sed verbi signum est; quippe inspectis a legente litteris occurrit animo, quid voce prorumpat [4]). quid enim aliud litterae scriptae quam se ipsas oculis et praeter se voces animo ostendunt, ut paulo ante diximus signum esse quod se ipsum sensui et praeter se aliquid animo ostendit, quae legimus igitur non verba sunt sed signa verborum. sed ut, ipsa littera cum sit pars minima vocis articulatae, abutimur tamen hoc vocabulo, ut appellemus litteram etiam cum

---

1) Velut veriloquia prorsus omittuntur.

2) De hac definitione agunt Prantl l. l. p. 668 et Steinthal l. l. I p. 293.

3) Cf. Diog. Laert. VII 56 et 57; L. Lersch l. l. III p. 45; H. Steinthal l. l. I 288, 291; A. Wilmanns l. l. p. 5 eqs.; O. Froehde l. l. p. 65.

4) Haec verba non intelleguntur nisi in animo habetur veteres non tacentes legisse, sed articulata voce. Cuius rei testimonia raro inveniuntur; cf. E. Norden, Kunstprosa I p. 6 et in append.

scriptam videmus, quamvis omnino tacita sit neque ulla pars vocis sed signum partis vocis appareat: ita etiam verbum appellatur cum scriptum est, quamvis verbi signum id est signum significantis vocis eluceat. Ergo ut coeperam dicere omne verbum sonat. Sed quod sonat nihil ad dialecticam. de sono enim verbi agitur, cum quaeritur vel animadvertitur, quanta vocalium vel dispositione leniatur vel concursione dehiscat, item consonantium vel interpositione nodetur vel congestione asperetur, et quod vel qualibus syllabis constet, ubi poeticus rhythmus accentusque a grammaticis solarum aurium tractantur negotia'.

Mirum est, quod Stoici totam hanc doctrinam quae sonum verbi comprehendit non ex dialectica eiecerunt, sed praeter hanc in dialectica etiam de barbarismis et soloecismis agebant. Apud Diogenem Laertium enim dialecticae distinguuntur hae duae summae partes (VII 43): *τὴν διαλεκτικὴν διαιρεῖσθαι εἴς τε τὸν περὶ τῶν σημαινομένων καὶ τῆς φωνῆς τόπον.* Ad secundam partem, quae *τὸν τῆς φωνῆς τόπον* comprehendit et propria est dialecticae, pertinent haec (VII 44): *εἶναι δὲ τῆς διαλεκτικῆς ἴδιον τόπον καὶ τὸν προειρημένον περὶ αὐτῆς τῆς φωνῆς, ἐν ᾧ δείκνυται ἡ ἐγγράμματος φωνὴ καὶ τίνα τὰ τοῦ λόγου μέρη καὶ περὶ σολοικισμοῦ καὶ βαρβαρισμοῦ καὶ ποιημάτων καὶ ἀμφιβολιῶν καὶ περὶ ἐμμελοῦς φωνῆς καὶ περὶ μουσικῆς καὶ περὶ ὅρων κατά τινας καὶ διαιρέσεων καὶ λέξεων* [1]). Qua autem de causa Augustinus a verbis tractandis sonum verborum, quem Stoici, ut ex verbis Diogenis cognovimus, proprium esse dialecticae appellabant, excluserit, nunc eruamus.

Augustinus discrimen facit inter verba quae articulata voce pronuntiata et quae in scripto sunt et leguntur [2]). Haec autem non verba, sed dumtaxat verbi signa nuncupat. Hoc discrimen autem inter verbum pronuntiatum et verbum scriptum nescio quis grammaticus fecit, qui veriloquia vocabuli

1) Cf. etiam Diog. Laert. VII 55 et 57; Prantl l. l. I p. 414.
2) Cf. O. Froehde l. l. p. 62 sqq.

verbi in animo habebat, cuius origo a verberando aerem[1]) vel aurem vel a verum dicendo ducta est. Hanc etymologiam a Varrone esse propositam tradidit Donatus (Goetzii et Schoellii l. l. p 238): 'verba a veritate dicta esse testis est Varro'. Quamquam alia etymologia vocabuli verbi nisi haec in Varronis traditis libris non invenitur, tamen Varronem has alias etymologias non nescivisse facile conicimus. Sed apertius vestigium nos ad Varronianum fontem ducet atque etiam causam, quapropter sonus verborum separatus sit a dialectica, patefaciet. Augustinus enim dicit loco laudato: 'sed ut, ipsa littera cum sit pars minima vocis articulatae, abutimur tamen hoc vocabulo, ut appellemus litteram etiam cum scriptam videmus'. Ex eadem sententia defluxerunt verba Diomedis (G. L. I 420, 9), quae Varroni tribuerunt cum Wilmannsio (fr. 42) Goetzius et Schoellius (fr. 111 p. 228): 'vox est, ut Stoicis videtur, spiritus tenuis auditu sensibilis, quantum in ipso est. Fit autem vel exilis aurae pulsu vel verberati aeris ictu. Omnis vox aut articulata est aut confusa: articulata est rationalis hominum loquellis explanata; eadem et litteralis vel scriptilis appellatur, quia litteris comprehendi potest; confusa est inrationalis vel inscriptilis, simplici vocis sono animalium effecta, quae scribi non potest, ut est equi hinnitus, tauri mugitus'. Itaque hic versamur in Varronis doctrina, quae e libro est sumpta, quo de singularum litterarum vi ac pronuntiatione accurate actum est. Ubi autem de sono verborum agendum sit, dicit Augustinus V p. 7, 18, quo loco fere Varronis verba subaudire possumus, quibus legentes deleget ad illum librum, quo de sono verborum uberius disputare potuit quam in dialectica: 'de sono verbi agitur cum quaeritur vel animadvertitur, quanta vocalium vel dispositione leniatur vel concursione dehiscat, item consonantium vel interpositione nodetur vel congestione asperetur et quot vel quali-

1) Augustin. de magistro V 12: 'verbum autem quamvis a verberatu aeris dicatur'; de dial. c. VI p. 9, 6 sqq.; Lactant. de opif. d. 15, 1: 'grammatici quidem et philosophi vocem esse definiunt aerem spiritu verberatum, unde verba sint nuncupata'. Cf. Goetzii et Schoellii l. l. p. 237 adn. ad v. 36; Funaioli l. l. p. 285; Prisciani exordium primi libri.

bus syllabis constet, ubi poeticus rhythmus accentusque a grammaticis solarum aurium tractantur negotia'.

Pluribus autem in libris Varro de litteris egit, velut in libris de origine linguae Latinae (fr. 45, 46, 47 G. S. p. 200) aut in libris de antiquitate litterarum (fr. 40—44 G. S. p. 199) aut denique in libris qui sunt de sermone Latino (G. S. p. 203). Sed dubium est hisne in libris Varronis etiam, ut Augustinus dicit, poeticus rhythmus accentusque tractati sint. In uno autem libro Varronis scimus ex fragmentis omnia haec quae ex Augustini verbis colligi possunt disceptata esse, h. e. in libro primo disciplinarum qui est de grammatica, ubi Varro quae ad scribendum legendum intellegendum probandum pertinent tractavit (fr. 107 G. S.). Atque duae priores partes scribendi et legendi illam doctrinam de litteris et syllabis comprehendunt, duae alterae partes intellegendi et probandi poeticum rhythmum et accentum. In reliquiis enim primi libri disciplinarum de grammatica (fr. 107—116 G. S. p. 227 sqq.) et litteras et sonum [1]) et poeticum numerum (fr. 116) Varronem tractavisse, neque oratorium quidem numerum neglexisse videri [2]), neque denique accentum, fr. 112 G. S. et fr. 76 et 77 demonstrant [3]). Varro igitur tum cum secundum librum disciplinarum de dialectica scripsit, omnia quae ad sonum verbi pertinent iam in primo libro disciplinarum de grammatica tractaverat. Quam ob rem in secundo libro disciplinarum de dialectica doctrinam de sono verborum denuo docere noluit, sed eos qui in dialectica hanc doctrinam quaesiverunt, delegavit ad illum librum ubi de eadem re iam disseruerat.

Sed quid erat causae, quod Varro hac in re Stoicorum sententiam non sequeretur, qui, ut vidimus, sonum verborum et litteras subtiliter in dialectica tractabant? Scimus ex Useneri quaestionibus [4]) Tyrannionem grammaticum scripsisse librum, quo omnia quae tunc ad grammaticam revocabantur

1) Cf. August. de ord. II 2, 35 (Migne vol. 32) p. 1012.

2) De qua re Usenerus agit Act. ac. Bav. 1892 vol. IV p. 642 adn. 3.

3) Usenerus l. l. p. 604 probavit litteras aspiratas, quae fr. 112 tractantur, ad accentus pertinere.

4) Useneri l. l. p. 639.

comprehendit. Cuius doctrina perquam viget in Varronis libris de antiquitatibus, de lingua Latina, imprimis in primo libro disciplinarum de grammatica, quo Varro ipse grammaticae artem in uno conspectu ponere conatus est [1]). Tyrannionis igitur est doctrina de quattuor partibus grammaticae [2]) (fr. 107 et 109 G. S.) et doctrina de accentibus (fr. 84 G. S.), quam, quia res artissime inter se cohaerent, in libro de grammatica neglegere non potuit. Varro ergo Tyrannionem, qui illis temporibus proprietatem accentus optime perspexerat, secutus est, cum libro de grammatica materiam tribueret quam Stoici in dialectica tractare solebant.

§ 16.

Augustinus c. V p. 8, 4 eqs. expedit duo genera verborum, unum quod dicibile alterum quod dictio vocatur: 'quidquid autem ex verbo non aures sed animus sentit et ipso animo tenetur inclusum, dicibile vocatur. Cum vero verbum procedit non propter se sed propter aliud aliquid significandum, dictio vocatur'. Exemplis, ut poni assolent in scholis, verbum, dicibile, dictio, res illustrantur [3]); deinde Augustinus progreditur ad eam partem dialecticae, quae propter veriloquia maxime Varronis doctrina imbuta esse videtur. Atque originem verbi esse censet in etymologia (VI p. 9, 1): 'cum quaeritur unde ita dicatur, res mea sententia nimis curiosa et minus necessaria'. Quamquam origo verborum expedienda multum iuvare Augustino videtur, tamen ineptum esse dicit (VI 9, 4): 'adgredi quod persequi profecto infinitum sit. Quis enim reperire possit, quidquid dictum fuerit unde ita dictum sit? Huc accedit quod ut somniorum interpretatio ita verborum origo pro cuiusque ingenio iudicatur'. Hoc iudicium de origine verborum explicanda non modo Augustini aetate, sed iam antea viguisse videtur. Augustinus enim hanc de etymologia sententiam fulcit Ciceronis de Stoicorum etymo-

1) Cf. Useneri l. l. p. 641.
2) Ibid. p. 638.
3) Cf. H. Steinthal l. l. I p. 293, 294.

logiis iudicio, cum diceret[1]) (VI p. 9, 2): 'neque hoc eo mihi placuit dicere, quod Ciceroni quoque idem videtur. quis enim egeat auctoritate in re tam perspicua?' Probabile videtur, id quod Crecelius in adnotatione (p. 9, 18) affirmat, Augustino, cum haec scriberet, locum tertii de natura deorum libri (c. 24, 62) ante oculos esse versatum et alium ex perditis libris de gloria petitum, quem servavit Festus p. 202, 25 ed. Muelleri: 'oppidorum originem optime refert Cato. Cicero lib. I de gloria, eamque appellationem usurpationem appellatam esse existimat, quod opem darent, adiciens 'ut imitetur ineptias Stoicorum' [2]). Exemplis etymologiae vocabuli 'verbum' Augustinus illustrare vult, quam lubrica et incerta veriloquiorum doctrina sit (c. VI p. 9, 6): 'ecce enim verba ipsa quispiam ex eo putat dicta quod aurem quasi verberent[3]). Immo, inquit alius, quod aërem. Sed quid nostra? Non magna lis est, nam uterque a verberando huius vocabuli originem trahit. Sed de traverso tertius vide quam rixam inferat. Quod enim verum nos ait loqui oportet odiosumque est natura ipsa iudicante mendacium, verbum a vero cognominatum est[4]). Nec ingenium quartum defuit. Nam sunt qui verbum a vero quidem dictum putant, sed prima syllaba satis animadversa secundam neglegi non oportere. Verbum enim cum dicimus, inquiunt, prima eius syllaba verum significat, secunda sonum. . . . ergo verbum dictum est quasi a verum boando, hoc est verum sonando'.

Tum Augustinus sententiam Stoicorum de origine verborum explanat[5]) (VI p. 9, 18): 'Stoici autumant, . . . nullum esse verbum, cuius non certa explicari origo possit. Et quia hoc modo eos urguere facile fuit, si diceres hoc infinitum esse, quibus verbis alicuius verbi originem interpretaris, si

1) Cf. etiam VI p. 9, 18.

2) Cf. etiam de offic. I 7, 23 et L. Lersch l. l. p. 154 eqs.

3) Diog. Laert. VII 55: ἔστι δὲ φωνὴ ἀὴρ πεπληγμένος. Priscian. VIII 1; H. Steinthal l. l. I p. 291.

4) Cf. Donati Ad. V 8, 29 (G. S. p. 238 ad v. 6): 'verba a veritate dicta esse testis est Varro'.

5) Cf. Steinthal l. l. I p. 332 eqs.

eorum rursus a te origo quaeratur, aiunt hoc quaerendum esse, donec perveniatur eo, ut res cum sono verbi aliqua similitudine concinat, ut cum dicimus aeris tinnitum, equorum hinnitum, ovium balatum, tubarum clangorem, stridorem catenarum. Perspicis enim haec verba ita sonare, ut ipsae res quae his verbis significantur'[1]). Hanc onomatopoeiam Augustinus his exemplis illustrat: 'ut ipsum 'lene' cum dicimus leniter sonat. Quis item 'asperitatem' non et ipso nomine asperam iudicet? Lene est auribus cum dicimus 'voluptas', asperum cum dicimus 'crux', . . . 'mel' quam suaviter gustum res ipsa, . . . 'acre' in utroque asperum est. 'Lana' et 'vepres', ut audiuntur verba, sic illa tanguntur'. Hinc Augustinus ad ea verba progreditur quae ipsarum inter se rerum similitudinem significant, velut 'crux', quod ipsius verbi asperitas cum doloris quem crux efficit asperitate concordet; 'crura', non propter asperitatem doloris, sed quod longitudine atque duritie inter membra cetera sint ligno crucis similiora, sic appellata sint. Deinde Augustinus verba tractat, quae per abusionem sunt ficta (*κατάχρησις*)[2]): 'ut usurpetur nomen non rei similis sed quasi vicinae. Quid enim simile habet significatio 'parvi' et 'minuti', cum possit parvum esse, quod non modo nihil minutum sit sed aliquid etiam creverit? Dicimus tamen propter quandam vicinitatem minutum pro parvo. . . . cum 'piscina' dicitur in balneis[3]), in qua piscium nihil sit nihilque simile piscibus habeat, videtur tamen a piscibus dicta propter aquam, ubi piscibus vita est'. . . . Tum verba per contrarium ficta (*ἀντίφρασις*) velut: 'lucus' eo dictus putatur quod minime luceat[4]), 'bellum' quod res bella non sit; 'foederis' nomen quod res foeda non sit. 'Quodsi, ut Augustinus ait, foedus a foeditate porci dictum est, ...

---

1) Cf. Dionys. Halic. de comp. verb. XVI (G. S. p. 238); De onomatopoeia agit L. Lersch l. l. III p. 129 eqs.; Fr. Muller l. l. p. 55.

2) Cf. Steinthal l. l. I p. 333; Mentz l. l. p. 48 ad fr. 32.

3) Cf. Donati art. gr. G. L. IV 400, 1; Festum p. 213a 2; August. de doctr. chr. III 29, 40; Fr. Muller l. l. p. 221.

4) Cf. Aelii Stilonis veril. apud Funaioli l. l. p. 79; Mentz l. l. p. 13; Steinthal l. l. I p. 353.

redit origo ad illam vicinitatem, cum id quod fit ab eo per quod fit nominatur'. Vicinitas in multas classes digeritur (VI p. 11, 2):

I per efficientiam [1]) (i. e. ab efficiente effectus) 'ut hoc ipsum a foeditate porci, per quem foedus efficiatur.

II per effecta (i. e. ab effectu efficiens), 'ut puteus, quod eius effectum potatio est'.

III per id quod continet~~ur,~~ 'ut urbem ab orbe appellatam volunt, quod auspicato locus aratro circumduci solet [2]).

IV per id quod continetur, 'ut si quis horreum mutata littera [3]) adfirmat ab hordeo nominatum'.

V per abusionem 'ut cum horreum dicimus et ibi triticum conditur' [4]).

VI a parte totum, 'ut mucronis nomine quae summa pars gladii est, gladium vocamus'.

VII a toto pars, 'ut capillus quasi capitis pilus'.

Augustinus, postquam illis exemplis Stoicorum doctrinam de origine verborum illustravit, tum de cunabulis quibusdam vel stirpe verborum, ultra quam quaeri originem Stoici vetant, agit. Stirpem vel cunabula verborum Stoici intellegunt in verbis velut: vafer velum vomis vulnus, illam syllabam, in qua crassus et quasi validus sonus litterae v cum vi illorum verborum congruat. Quam ob rem originem verborum ducunt (VI p. 11, 19):

I ex vicinitate, id est, per id quod efficiunt, velut: 'vincula' et 'vimen' dicta possunt videri quo aliquid vinciatur, 'vites' quod adminicula quibus innituntur nexibus prendunt.

---

1) Cf. Reitzensteinii l. l. p. 74.

2) Varro de ling. Lat. V 143.

3) Varro de ling. Lat. V 6: 'in consuetudine communi quot modis litterarum commutatio sit facta qui animadverterit, facilius scrutari origines patietur verborum: reperiet enim esse commutata, ... maxime propter bis quaternas causas. litterarum enim fit demptione aud additione et propter earum traiectationem aut commutationem, item syllabarum productione'.

4) Cf. Reitzensteinii l. l. p. 74; Fr. Muller l. l. 192.

II propter similitudinem, velut 'vietus' appellatur incurvus senex, 'via' appellatur terra quae pedibus itinerantium flexuosa et trita est.

'Sin autem, Augustinus addit, via, quod vi pedum trita est, magis creditur dicta, redit origo ad illam vicinitatem'.

Qua via ac ratione Stoici originem verborum indagaverint, Augustinus hoc exemplo illustrat (VI p. 12, 4): 'sed faciamus a similitudine vitis vel viminis hoc est a flexu esse dictam. quaerit ergo a me quispiam: quare via dicta est? respondeo: a flexu, quod flexum velut incurvum vietum veteres dixerunt, unde vietos etiam quae cantho ambiantur rotarum ligna vocant. persequitur quaerere, unde vietum flexum dicatur: et hic respondeo a similitudine vitis. instat atque exigit, unde ita sit vitis nomen; dico, quod vinciat ea quae comprehenderit; scrutatur, ipsum vincire unde dictum sit; dicemus a vi. vis quare sic appellatur, requiret; reddetur ratio, quod robusto et quasi valido sono verbum rei quam significat congruit. ultra quod requirat non habet'. Augustinus postquam, ut ipse ait (VI p. 12, 10) et longum et minus quam illa quae dicta sunt necessarium [1]), Stoicorum doctrinam persecutus est, tum ad tractandam verborum vim progreditur; sed antequam hanc partem dialecticae perlustramus, nobis est inquirendum quae exempla ab Augustino proposita ad Stoicorum de etymologia doctrinam illustrandam in Varronis libris et fragmentis inveniantur.

§ 17.

Martianus Capella, cuius dialectica ad id, quod in scholis illis temporibus tractatum est, maxime adaptata esse videtur, doctrinam de origine verborum prorsus neglexit. Praeter

---

1) Qua de re facile intellegitur Augustinum non dubitavisse singulas rationes etymologicas quae ad Stoicorum doctrinam pertinent, velut *μετάθεσιν* et *σύνθεσιν*, omittere; cf. Steinthal l. l. I p. 337; Mentz l. l. p. 12 et 13.

unum exemplum, quod 'contrarium' illustrat (IV 360) nullum invenimus quod cum illis ab Augustino propositis comparari possit. Ubi autem Martianus 'contrarium' expedit, quo termino Augustinus quoque in ea parte dialectica, qua de origine verborum disputatur (VI p. 10, 22), usus est, fontem ex quo uterque hauserit non iam eundem esse perspicimus. Nam apud illum non agitur de origine verborum, sed de commutatione verborum, quae aliqua ratione mutantur (IV 359). Itaque Stoicorum doctrinam ab Augustino (c. VI) tractatam de origine verborum, quae per similitudinem, per contrarium ficta sunt, et quae ex toto partem aut ex parte totum significant, non, ut Augustinus in etymologiis, sed in tropis enumerat.

Atque duae erant causae cur Martianus etymologiam praeteriret, primum quod magna ex parte libellum Apulei, qui etymologiam prorsus neglexerat, excerpserat, deinde quod, ut Usenerus (l. l. p. 624) ostendit, omnino grammatici illis temporibus etymologiam valde neglegebant [1]). Verba, quorum de etymologia Augustinus disserit, magna scilicet ex parte e Varronis copia exemplorum ducta sunt [2]). Sed non omnia veriloquia, quae expedit, in libris Varronianis, qui quidem traditi sunt, indagari possunt [3]). Ex quattuor enim exemplis, quibus Augustinus originem vocabuli 'verbum' illustrat (c. VI p. 9, 6—17) unum a Varrone adhibitum esse testatur Donatus (Ad. V 8, 29) [4]): 'verba a veritate dicta esse testis est Varro'. Exempla, quibus Augustinus similitudinem verborum rebus quas verba significant illustrat (IV p. 10, 1—13), cum fragmentis 111 et 113 (G.S.) ex Varronis primo libro disciplinarum de grammatica excerptis comparari possunt. Exempla, quibus Augustinus abusionem vel catachresin (VI p. 10, 13) et con-

1) Cf. Augustini verba VI p. 9, quibus Stoicorum etymologias irridet.

2) Cf. Wilmannsii l. l. p. 17.

3) De ratione, quae inter Augustini et Varronis veriloquia intercedat cf. Fr. Muller, de veterum imprimis Romanorum studiis etymologicis (Traiecti ad Rhen. 1910) p. 223.

4) Quem locum Goetzius et Schoellius l. l. in adn. collig. p. 238.

trarium (VI p. 10, 22) illustrat, partim in libris Varronis non occurrunt, partim cum Varronis exemplis non consentiunt. Velut Varro in V libro de lingua Latina (§ 18) et VI libro (§ 79) aliis exemplis contrarium illustrat[1]). Quomodo alia exempla Augustini et Varronis inter se conspirent, ex hac comparatione intellegi potest:

Augustinus proponit	Varro dicit
(VI p. 10, 22): foedus: quod res foeda non sit, vel: a foeditate porci dictum;	de lingua Lat. V 86: fetiales, quod fidei publicae inter populos praeerant: nam per hos fiebat ut iustum conciperetur bellum et inde desitum, ut foedere fides pacis constitueretur.
(VI p. 11, 3): puteus: quod eius effectum potatio est;	de ling. Lat. V 25: is si quamvis deorsum in terra, unde sumi pote, puteus; nisi potius quod Aeolis dicebant ut πύταμον sic πύτεον a potu, non ut nunc φρέαρ.
(VI p. 11, 4): urbs: ab orbe, quod auspicato locus aratro circumduci solet.	de ling. Lat. V 143: quare et oppida quae prius erant circumducta aratro ab orbe et urvo urbs est.
(VI p. 11, 7): horreum: mutata littera ab hordeo nominatum aut: per abusionem, ut cum horreum dicimus et ibi triticum conditur.	de ling. Lat. VI 45: tremo dictum a similitudine vocis . . . ut arista in spica hordei horrent; ibid. V 106: hordeum ab horrido.

Exempla, quibus Augustinus rationem Stoicorum illustrat, qua ad cunabula verborum pervenire sibi videntur, non sine magno discrimine apud Varronem occurrunt:

1) Cf. Mentz l. l. p. 41 ad fr. 13; Muller l. l. p. 223.

Velut Augustinus proponit	Varro dicit
(VI p. 11, 20): violentum a vi; 'vincula' et 'vimen' dicta possunt videri quo aliquid vinciatur et quia violenta sunt; 'vites' quod adminicula quibus innituntur nexibus prendunt;	de ling. Lat. V 37: vineta ac vinea a vite multa. vitis a vino, id a vi; ibid. V 62 . . . et horum vinctionis vis Venus. . . . non quod vincere velit Venus, sed vincire. ipsa Victoria ab eo quod superati vinciuntur. . . . ideo haec cum corona et palma, quod corona vinclum capitis et ipsa a vinctura dicitur vieri, id est vinciri.
(VI p. 12, 2): vietus: propter similitudinem (vitis) incurvus senis appellatur;	fr. 92 G. S. (ex libro de serm. Lat.): viere enim conectere est, unde vimen dictum virgulti species et viti in rotis.
(VI p. 12, 2): via: terra, quae pedibus itinerantium flexuosa et trita est, via dicitur, vel: quod vi pedum trita est.	de ling. Lat. V 22 = (VI p. 12, 2): vias quidem iter, quod ea vehendo teritur[1]); ibid. V 35: ut qua agebant actus, sic qua vehebant, [actus] viae dictae.

Etiamsi non omnia veriloquia ab Augustino prolata cum Varronianis consentiunt, tamen plurima Varronis esse non potest negari. Etenim non cognovimus nisi partem multorum veriloquiorum, quibus perditi libri Varronis pleni erant[2]); accedit quod, ut Muellerus praefatione suae editionis Varronis operis de lingua Latina (p. VII) evincit, Varronem diversa tradidisse diversis locis constat. Itaque effici non potest Augustini veriloquia, quae alio quodam modo libris Varronis non tradita sunt, non esse Varroniana, sed potius coniciendum est Augustinum haec e Varronis perdito libro de dialectica excerpsisse.

1) Cf. Steinthal l. l. I² p. 354.

2) Cf. Goetzii l. l. act. ac. Sax. t. XXVII p. 68.

§ 18.

Augustinus quaestiones sequens in quas verbum vocavit (VI p. 8, 29) primum de origine verbi disseruit, deinde de vi verborum agit (VII p. 12, 12 eqs.). Eam partem dialecticae Reitzensteinius (l. l. p. 70 eqs.) iam recensuit, ut hoc loco retractare supersedeamus. Agitur hac quaestione magis de arte rhetorica quam dialectica recteque Reitzensteinius affirmat (l. l. p. 70), Augustinum Stoicorum doctrinam rhetoricam posterioris aetatis reddere. Duplex autem est consideratio, qua ratione Augustinus hanc doctrinam (VII p. 13, 15) distinguit 'partim propter explicandam veritatem, partim propter conservandum decorem; quorum primum ad dialecticam, secundum ad oratorem maxime pertinet'. Qua de re 'nec disputationem deceat incomptam neque eloquentiam oporteat esse mendacem'. Disputatori ergo, 'si qua ei delectandi cura est, rhetorico colore aspergendum est, et oratori 'si veritatem persuadere vult' dialecticis quasi nervis atque ossibus esse roborandum.

Intellegimus ex eis verbis rhetoricae disciplina quam arte cum dialectica cohaereat. Martianus Capella, ut iam vidimus (§ 13) eam partem, quae comprehendit 'quae dicenda rhetoribus commodata est' (IV 338) dispositioni dialecticae adiunxit. Qua de re conici potest Varronem in dialectica etiam artem eloquentiae, quatenus illa ad 'bene disputandi scientiam' pertinet, attigisse. Iam Cicero dialecticam cum arte rhetorica coniungere conatus est, ut loci infra scripti docent: de orat. I 128 'in oratore autem acumen dialecticorum, scientia philosophorum .... est requirendum'; ibid. II 111 'ambiguorum autem cum plura genera sunt, quae mihi videntur ei melius nosse, qui dialectici appellantur, hi autem nostri ignorare, qui non minus nosse debeant, tum illud est frequentissimum in omni consuetudine vel sermonis vel scripti, cum idcirco aliquid ambigitur, quod aut verbum aut verba sint praetermissa'. Orat. 113 'esse igitur perfecte eloquentis puto non eam solum facultatem habere, quae sit eius propria, fuse lateque dicendi, sed etiam vicinam eius atque finitumam

dialecticorum scientiam assumere. Quamquam aliud videtur oratio esse, aliud disputatio, nec idem loqui esse quod dicere, ac tamen utrumque in disserendo est: disputandi ratio et loquendi dialecticorum sit, oratorum autem dicendi et orandi' [1]).

Evinci scilicet non potest Augustinum, qui paulo post (p. 15, 18) Ciceronem laudat, hac parte dialecticae non secutum esse sententiam Ciceronis, cuius doctrinam rhetoricam in libris de doctrina christiana in suum usum vertit; tamen propter dispositionem dialecticae apud Martianum Capellam probabilius videtur illum coniunctas dialecticam et rhetoricam iam apud Varronem invenisse, qui fere decem annis post Ciceronis mortem disciplinarum libros scripsit [2]).

§ 19.

Sequuntur c. VIII impedimenta quae in veritate diiudicanda nascuntur ex vi verborum (p. 14, 4): 'impedit enim auditorem ad veritatem videndam in verbis aut obscuritas aut ambiguitas verborum. Inter ambiguum et obscurum hoc interest, quod in ambiguo plura se ostendunt, quorum quid potius accipiendum sit ignoratur, in obscuro autem nihil aut parum quod adtendatur apparet'. Hac re exemplo illustrata Augustinus de obscuritate verborum disputat, cuius tria genera distinguit (c. VIII p. 14, 12): 1. quod sensui patet, animo clausum est; 2. ubi res animo pateret, nisi sensui clauderetur; 3. in quo etiam sensui absconditur, quod tamen si nudaretur nihilo magis animo emineret, quod genus est omnium obscurissimum. Haec tria genera Augustinus exemplo obscuri verbi 'temetum', quod Augustini aetate fere ignotum erat, illustrat. Antequam autem ad ambiguitatem verbi explicandam accedit, sententiam dialecticorum, qui affirment ambiguum esse omne verbum [3]), exemplo verbi 'magnus' illustrat. Demonstrat enim verbum 'magnus' e compage enuntiati solutum et nomen et pedem choreum et innumerabilia alia esse posse;

1) Quem locum Reitzensteinius adnotavit p. 70.
2) Cf. Ritschelii opusc. III p. 400.
3) Diogen. Laert. VII 62; Gellius XI 12.

cum autem nemo ambigua verba verbis ambiguis explicet, id quod a dialecticis affirmatum sit, omne verbum esse ambiguum, de verbis esse singulis dictum (IX p. 15, 20).

Ambiguitatis genera ab Augustino distinguuntur duo (IX p. 16, 7)[1]: 1. in his quae dicuntur, 2. in his quae scribuntur.

Primum genus rursum dividitur (IX p. 16, 18):

A. in univocis, quae non solum vocabulo uno sed una etiam definitione contineri queunt aut tantum communi tenentur vocabulo sed diversis expeditionibus explicantur.

Martianus Capella definit 'univocum' (IV 356):

Univocum est quando duarum aut plurium rerum unum nomen est et definitio ut 'vestis'.

(X p. 17, 13):

B. in aequivocis, in quibus ambiguitatum perplexio prope infinita silvescit. Ambiguitatum quae ab aequivocis veniunt prima genera tria sunt:

1. ab arte 2. ab usu	} 3. ab utroque.

Martianus Capella definit 'aequivocum' (IV 355):

Aequivocum est quando multarum rerum unum est nomen, sed non eadem definitio ut 'leo'.

a) ab arte, propter nomina quae in verborum disciplinis verbis imponuntur.

b) ab usu, (loquendi) propter quod verba cognoscimus.

c) ab utroque: ut si quis dicat, multi dactylico metro scripserunt, ut est Tullius.

Primum genus (ab arte) in duo genera rursum dividitur[1]) (X p. 18, 13): a) quod sibi pro exemplo esse potest, b) quod sibi pro exemplo non esse potest. Etiam secundum genus in duo genera dividitur (X p. 18, 26): a) aut ex eadem origine, b) aut ex diversa origine.

---

1) Cf. Reitzensteinii l.l. p. 72.

Primi generis partes sunt (X p. 19, 5):

α) translatio, cum vel similitudine unum nomen fit multis rebus, ut Tullius (orator et statua eius), vel ex toto cum pars cognominatur, vel ex parte totum dicimus, aut a genere species, aut a specie genus, aut ab efficiente effectum, aut ab effecto efficiens, aut a continente quod continetur, aut conversa vice.

β) declinatio, quidquid sive per voces sive per significationes flectendo verba contingit. Sed, ut Augustinus ait (X p. 19, 22), hoc genus ambiguitatum minutatim concidere ac persequi paene infinitum est.

Secundum genus (ex diversa origine) dividitur in duas primas formas (X p. 19, 25):

α) quae contingit diversitate linguarum, *β*) quae contingit diversitate originum verborum.

Quod rursus in duo genera scinditur:

α) sub eodem genere partis orationis, *β*) sub diverso genere, *γ*) ex utroque (i. e. ex arte et ex usu verborum) tot ambiguitatum formae possunt existere quot in duobus superioribus enumeravimus (X p. 20, 7).

2. Ambiguum genus quod in scriptis solis reperitur:

a) aut spatio syllabarum }
b) aut acumine } c) aut utroque.

§ 20.

Hactenus Augustinus commentationem de dialectica confecit. Non modo partes dialecticae quae vocantur de eloquendo, de proloquendo, de proloquiorum summa non tractatae sunt, sed ne prima quidem pars dialecticae quae vocatur de loquendo usque ad finem est adducta. Summa enim forma Augustini primae partis de loquendo hac dispositione dialecticae continetur (VI p. 8, 30): verborum origine, vi, declinatione, ordinatione. Quarum ab Augustino tractatae sunt:

c. VI origo verborum;

c. VII-X vis verborum {
- c. VIII obscuritas verborum
- c. IX p. 16, 7 eqs. ambiguitas verb. {
  - c. IX p. 16-X verba univoca
  - c. X eqs. verba aequivoca.

Ad complendam igitur primam partem de loquendo restant partes quibus declinatio et ordinatio expediuntur; ad complendum totum librum de dialectica restant partes de eloquendo, de proloquendo, de proloquiorum summa. Etiam restat in tractandis generibus ambiguitatis verborum illud quo de plurivocis agitur. De quo Martianus Capella haec docet IV 357: 'plurivocum est quando multis nominibus una res dicitur ut gladius. nam et ensis et mucro idem significant'. Non secus Boethius hoc genus plurivoci vel ut ipse ait multivoci in categ. Arist. I (Migne vol. 64 p. 168) definit: 'multivoca sunt quorum plura nomina una definitio est, ut est scutum, clipeus: his enim plura nomina, sed una definitio est; et M. Porcius Cato his enim tot nominibus res una subiecta 'est'.

§ 21.

Circumspiciendum nunc est, num forte ex locis quibusdam Augustini dialecticae, qui ad Varronis libros de lingua Latina referantur, de fonte e quo Augustinus hausit certiora eruere possimus. Reitzensteinius in libro laudato, quo Varronis libros de lingua Latina tractavit, conatus est primum librum illius Varronis operis ex Augustini fragmento de dialectica denuo construere, cum hunc libellum e Varronis primo libro de lingua Latina fluxisse totum affirmaret. Quod Reitzensteinius hac in re ausus est, his coniecturis continetur.

Iohannes Mauropus Euchaitensis et Iacobus Edessaeus etymologias suas ex uno fonte hauserunt (p. 22 et 23), exordium autem etymologici libri, quo usi sunt, redit ex parte in commentario Iacobi Edessaei, quo interpretatus est orationes collectas, quae a Severo Antiocheno de rebus divinis (*λόγοι ἐπιθρόνιοι*) habitae sunt. Lineamenta autem huius exordii congruunt cum sententiis, quas Varro initio libri octavi de lingua Latina (§§ 1—24) profert. Cum autem etiam in Augustini dialectica argumenta quaedam exstent, quae cum illo exordio libri octavi congruere viderentur, Reitzensteinius conatus est ab hac re profectus doctrinam a Varrone primo libro tractatam restituere.

Haec ratio iam a Roehrscheidio accuratiore interpretatione locorum et omnibus argumentis expensis ita refutata est [1]), ut vestigia similitudinis quae exstare videbantur inter Varronis initium libri octavi et initium libri e quo Iohannes Mauropus doctrinam etymologicam delibavit, prorsus evanescerent. Nihilominus nunc Reitzenstinii argumenta quatenus ad Augustini dialecticam referuntur, sequamur, ut et ipsi videamus probabilisne sit huius viri doctissimi de fonte Augustini ratio. Reitzensteinius enim eas partes Augustini dialecticae, quibus de origine verborum (c. VI) et de ambiguitate verborum (c. X) agitur, cum Varronis generibus declinationis universe conspirare, quae originem verborum comprehendant (d. l. L. VIII §§ 14—19) propter haec argumenta pro certo affirmat: dispositionem declinationis Varronis l. l. §§ 14—19 quodammodo quasi cognatione cum tropis esse coniunctam (Reitzensteinii l. l. p. 78 et 79) atque apud omnes Latinos et Graecos grammaticos dispositionem tropi esse eandem, velut apud Scaurum, Charisium 272, 6, Diomedem 457, 2, qui quadruplicem divisionem tropi discernant: 'ab animali ad animale, ab animali ad inanimale, ab inanimali ad animale, ab inanimali ad inanimale'; velut apud Quintilianum VIII 6, 13: 'secantur haec in plures: ut a rationali ad rationale et idem de irrationalibus; et haec invicem, quibus similis ratio est, et a toto et a partibus' [2]).

Hae autem partes tropi Reitzensteinio in dispositionem declinationis Varronis l. l. VIII 14—19 quadrare videntur.

Sed videamus quam in divisionem genera declinationis Varro hoc loco redegerit.

Varro proponit has partes:

§ 14 nomina declinantur aut

1. in earum rerum discrimina
2. in earum extrinsecus

in sua discrimina declinantur aut

1. propter ipsius rei naturam de quo dicitur, aut
2. propter illius ⟨usum⟩ qui dicit

1) Götting. gelehrt. Anz. 1908, vol. II p. 794 eqs.

2) Cf. Muller l. l. p. 257 adn. 1.

propter ipsius rei discrimina
1. aut ab toto
2. ⟨aut a parte⟩ [1])

⟨quae a toto declinata sunt aut
1. propter multitudinem
2. propter exiguitatem⟩ [2])

§ 15 quae a parte declinata
1. aut a corpore
2. aut ab animo
⟨⟨3. aut ab eis quae extra hominem⟩⟩ [3])

§ 16 Sequitur id genus declinationis, quod ‘propter eorum qui dicunt usum declinati casus’

§ 17 ‘propter ea verba quae erant proinde ac cognomina’

§ 18 ‘quae in eas res quae extrinsecus declinantur’.

Convenientia dispositionis tropi et Varronis declinationis proponere et demonstrare, qua in re singuli loci inter se consentiant, Reitzensteinius omittit. Nos quidem hac in re offendimus, quod Varro omnino non de tropis agit, sed de universa declinatione verborum, ut exempla proposita ostendunt, velut § 14: Terentius Terentia; homo-homunculus, capite-capitulum; homo-homines; § 15: mamma mammosa; prudentia prudens; ingenio ingeniosus. Etiam hoc, quod Varro § 16 de declinatione nominum, de casibus § 17 de cognominis vel adiectivis exponit, cum tropis comparari non potest. Quomodo autem partes Augustini dialecticae cum Varronianis supra positis consentiant, ut omnes dubitationes de hac re evanescant, Reitzensteinius non exponit. Si enim illud quod Augustinus de translatione dicit (c. X p. 19, 5), quam partem Reitzensteinius recenset (p. 73), cum Varronis verbis § 14 et 15 comparamus, cognatio quaedam scilicet inter comparatos locos apparet, sed ea parum fidem facit Augustinum cum de translatione ageret, hac ipsa Varronis doctrina esse usum.

1) Cf. Reitzensteinii l. l. p. 67 adn. 3.

2) Varronem ita disposuisse Reitzensteinius coniecit l. l. p. 67; cf. etiam Goetzii et Schoellii adnotationem ad p. 129, 9.

3) Cf. Reitzensteinii l. l. p. 67.

Ut exemplum afferamus, Varronis verba cum Augustini contendamus:

Varro l. l. § 14 sic disserit:

(Nomina declinantur) propter ipsius rei discrimina + aut ab toto, ut ab homine homunculus, ab capite capitulum; propter multitudinem, ut ab homine homines; ab eo quod alii dicunt cervices et id . . . cervix. quae a parte declinata, aut a corpore, ut a mamma mammosae, a manu manubria, aut ab animo, ut a prudentia prudens, ab ingenio ingeniosi'.

Augustinus de translatione sic agit (X p. 19, 5):

'Translationem voco cum vel similitudine unum nomen fit multis rebus, ut Tullius et ille in quo magna eloquentia fuit et statua eius dicitur, vel ex toto cum pars cognominatur, ut cum cadaver eius Tullius dici potest; vel ex parte totum, ut cum tecta dicimus totas domos eqs.'.

Neque exempla, quae Varro et Augustinus adferunt, neque res conspirant, cum Augustinus inter translationem et declinationem discrimen faciat [1]) et de generibus ambiguitatis verborum agat, Varro contra hoc loco non nisi de declinatione verborum expediat.

Neque verisimile est quadruplicem divisionem tropi quadrare, ut Reitzensteinius p. 78 affirmat, in dispositionem, qua Varro declinationem in quattuor partibus disposuerit [2]). Nam dispositio Varronis non certa aliqua ratione continetur [3]), sed partes, sicuti res ipsa cogit, se excipiunt. Haud quaquam autem triplex divisio, quam ubique initio libri octavi valere [4]) Reitzensteinius sentit (p. 77), commonefacit triplicis

1) X 19, 5 Translationem voco cum vel similitudine unum nomen fit; X 19, 20 Declinationem nunc appello, quidquid sive per voces sive per significationes flectendo verba contingit.

2) Cf. Muller l. l. p. 257.

3) Cf. Roehrscheidii l. l. p. 814.

4) Velut: l. l. VIII 2 'cur et quo et quemadmodum in loquendo declinata sunt verba'.

divisionis Augustini ambiguitatis verborum in aequivocis (X p. 17, 14). Nam praeterquam quod et triplices et quadruplices divisiones Varro, ubi occasio et res fert, et in libris de lingua Latina et in libris disciplinarum adhibet [1]), apud Augustinum tria singula genera non inveniuntur, cum id genus, quod Reitzensteinius intellegit, tertium primum et secundum genus comprehendat. Ut res perspicua fiat, dispositiones comparatione locorum illustremus.

Augustinus distinguit ambiguitatum genera hoc modo:

(c. X p. 17, 14) 'Ambiguitatum igitur quae ab aequivocis veniunt prima genera tria sunt:

1. unum ab arte }
2. alterum ab usu } 3. tertium ab utroque.

At Varro disponit tres partes hoc modo l. l. VIII 2 'de huiusce multiplici natura discriminum orae sunt haec: 1. cur, 2. quo, 3. quemadmodum in loquendo declinata sunt verba'. Varro ergo tres singulas partes declinationis distinguit, quae inter se differunt, Augustinus distinguit tres partes ambiguitatis generis, quorum prima et altera inter se differunt, tertia utramque aliam, ut Augustinus ait (X p. 18, 7), confundat. Qua de causa hanc Varronianam divisionem cum Augustino non comparandam esse manifestum fit.

Etiam alterum exemplum, quo Reitzensteinius Varronis (p. 77) triplicem divisionem orationis partium probare vult, cum rebus ipsis omnino non concordat. Varro enim dicit l. l. VIII 11: '+ quarum generum declinationes oriantur, partes orationes sunt duae (ni)si [2]) item ut Dion in tris diviserimus partes res quae verbis significantur: unam quae adsignificat casus, alteram quae tempora, tertiam quae neutrum'. 'Hoc loco autem Varro ne suam quidem sententiam de partibus orationum refert, sed Dionis [3]). Varro enim ipse omnino non tres, sed quattuor partes orationis distinguit, velut l. l. VIII 44: 'quod ad partis singulas orationis, deinceps dicam. quoius

1) Cf. Usener l. l. p. 626.

2) Nisi pro si coniecit Roehrscheidius l. l. p. 803.

3) Cf. Schoemann, Redeteile p. 13, 3; Roehrscheidii l. l. p. 803.

quoniam sunt divisiones plures, nunc ponam potissimum eam qua dividitur oratio secundum naturam in quattuor partis: in eam quae habet casus et quae habet tempora et quae habet neutrum et in qua est utrumque' [1]). Videmus igitur Varronem triplicem quidem divisionem partium orationis cognovisse, sed ipsum quadruplicem proposuisse, qua quoque in declinatione verborum (l. l. X 17) usus est [2]). Argumenta ergo, quae Reitzensteinius profert (p. 77), quibus eandem dispositionem Varronis exordii libri octavi et Augustini ambiguitatis verborum probare conatus est, neque cum Varronis neque cum Augustini dispositione congruunt. Nunc accedamus ad validissimum argumentum, quo Reitzensteinius primum librum Varronis de lingua Latina quasi fontem Augustini libelli evicisse sibi videtur.

§ 22.

Reitzensteinius (p. 75) pro certo habet duplicem divisionem verborum in simplicibus et coniunctis, quibus partibus Augustinus (c. I—IV) totam linguam diviserit, eandem esse qua Varro totum opus de lingua Latina distinxerit. Cum autem, ut Reitzensteinius contendit, haec divisio in prooemio operis Varroni confirmanda esset, ad hanc rem Varronem libro Stoicorum περὶ διαλεκτικῆς esse usum, ex quo summam formam linguae atque artis grammaticae sumpsisset. Hoc modo primum librum Varronis operis esse compositum, atque Augustinum hunc librum in suum usum convertisse, ut praeter exempla quae Augustinus proposuisset et quod e Vergilii Sallustii Ciceronis libris laudavisset nihil dialecticae esset Augustini proprium (p. 69). Res si ita se haberent, ut Reitzensteinio probabile videtur, sequeretur, ut Varronis liber multo maior fuisset quam Augustini dialectica. Magnitudo autem libri Augustini, si Augustinus illum perfecisset, obiter computari potest hac ratiocinatione. Augustinus expedit libello, ut iam vidimus (§ 20) non nisi dimidium primae

1) Cf. Schoemannii l. l. p. 12; cf. etiam Varronis l. l. IX 31.
2) Usenerii l. l. p. 626.

partis dialecticae de loquendo. Hoc fragmentum editionis Crecelii 369 versus comprehendit, ut si statuamus reliquam dimidiam partem, si perfecta esset, item comprehensuram fuisse 369 versus, prima pars de loquendo comprehendisset 738 versus. Si porro statuamus unamquamque partem de eloquendo, de proloquendo, de proloquiorum summa, quae non tractatae sunt, etiam comprehensuram fuisse 738 versus, totus Augustini liber, si ad finem perductus esset, 2952 versus comprehendisset. Cum autem versus Crecelii editionis versu Varronis libri editionis Goetzii et Schoellii triente maior sit, primus liber Varronis, si ab Augustino totus, ut Reitzensteinius affirmat (p 69) exscriptus esset, $\frac{3}{2} \cdot 2952$ versus id est 4428 versus comprehendisset.

Quae si ita fuissent, primus Varronis liber quatuor partibus maior fuisset quam quintus de lingua Latina liber, qui 1108 versus comprehendit et fere septem quam liber sextus qui 620 versus comprehendit. Cum autem Augustinus partim dialecticam summatim tractavisset[1]), ille liber ex quo materiam excerpsit certe multo maior fuisse videretur quam computavimus. Primus autem liber Varronis, quo Varro, ut Reitzensteinius affirmat (p. 75) linguam et grammaticam forma commentationis dialecticae leviter tractavit, neque certe multo maior erat quam reliqui libri, immo potius brevior esse debuit, neque minor esse potuit quam Augustini de dialectica liber, quo, ut ipse ait (VI 9. 17) nullam partem (dialecticae) praetermittere velit. Itaque Augustinus, si vere dialecticam Varronis in suum usum convertit, non epitomen dialecticae primi libri de lingua Latina, sed secundum librum disciplinarum, ubi copiosius res tractata erat, pro fundamento habuit.

Quomodo autem argumenta Reitzensteinii accommodari possunt ad dispositionem in quam et apud Martianum et apud Augustinum partes dialecticae redactae sunt? Si

1) Nonnullis locis Augustinus dicit materiam sibi esse contrahendam ne prolixe de dialectica disputet: VI p. 9, 17; 12, 10; VII p. 12, 11; 13, 14; VIII p. 14, 3; IX p. 17, 7; 19, 22; cf. Muller l. l. p. 224.

Reitzensteinii argumenta probare nobis placeret, efficiendum nobis esset Martianum dispositionem et alios locos qui cum Augustini conveniunt aut e primo libro de lingua Latina sumpsisse aut Varronis disciplinarum librum de dialectica in eandem dispositionem fuisse redactum ac prooemium operis de lingua Latina. Cum autem Martianus artes liberales magna ex parte e Varronis artibus sumpserit, quod praeter alia testimonia etiam testatur dispositio grammaticae (III 229), quae ex Varronis primo libro disciplinarum ducta est [1]), non est dubium, quin nullus alius liber Varronis et Martiano et Augustino doctrinam dialecticae praebuerit nisi secundus Varronis disciplinarum liber de dialectica.

§ 23.

Antequam alia argumenta, quae nostram sententiam de hoc Augustini dialecticae fonte confirment, proponimus, nobis visum est demonstrare, quantopere Augustinus eiusque amici Mediolani et in villa Verecundi, ubi Augustinus principia disciplinarum scribere incohavit [2]), Varronis quidem librorum disciplinarum studio dediti fuerint, interpretatione carminis Licentii, quo amicus et discipulus Augustini magistro suo de Varronianis studiis atque ut videtur, de disciplinarum libris rationem reddit. Hoc carmen traditum epistula Augustini XXVI Mignii vol. 33 p. 104, a Wernsdorfio 'Poetarum Latinorum minorum' volumine IV p. 516 eqs. emendatius editum est. Ritschelius autem carmen quamquam poeta ab Augustino disciplinarum libros ad interpretationem Varronis petivit, in quaestionibus de Varronis librorum argumentis (opusc. III p. 433 adn.) non ad illius disciplinas contulit. Primus Fabricius (Bibl lat. med. aet. vol. IV p. 810) id ad Varronis disciplinarum libros pertinere vidit, deinde Usenerus, qui propter singula argumenta, quae in carmine e Varronis disciplinis adhibita cognoscenda essent, animos ad illum convertit [3]).

1) Cf. § 5; Useneri l. l. p. 601; Wilmannsii l. l. p. 99 eqs.

2) Retract. I 6: 'inchoaveram quippe tantummodo istam apud Mediolanum disciplinam (de musica)'.

3) Useneri l. l. p. 600 adn. 1: 'Ich möchte bei dieser Gelegenheit

§ 24.

Auctor huius carminis, Licentius, civis et municeps Augustini fuit. Thagastensis et Christianus, quod ipse dicit v. 137. Hic adulescens cum Augustino erat in villa Verecundi Cassiciaca apud Mediolanum (conf. IX c. 3) ubi ille, postquam professionem rhetoricae deposuit (conf. IX c. 2), et eius amici Alypius, Navigius, Licentius, Trygetius, ab aestu saeculi, ut ait l. l., requieverunt [1]. Augustinus, qui moderator erat Licentii studiorum artium eum ad studium imprimis disciplinarum vocavit [2].

Sed Licentii studia, postquam Augustinus in Africam revertit, parum processerunt, ut carmine ad Augustinum misso referret summam Varronis doctrinam sine interpretatione magistri Augustini valde sibi esse obscuram, qua de causa ab illo 'scripta salutiferi sermonis' et libros de musica petit [3].

Inquiramus nunc illos versus, qui de studiis Varronianis sunt et de disciplinis ipsis [4].

Arcanum Varronis iter scrutando profundi
Mens hebet, adversamque fugit conterrita lucem.
Nec mirum; iacet omnis enim mea cura legendi,
Te non dante manum et consurgere sola veretur.
Nam simul ut perplexa viri compendia tanti
Volvere suasit amor, sacrosque attingere sensus,
Quis numerum dedit ille tonis mundumque Tonanti.

---

auf eine Ergänzung hinweisen, welche Ritschls bahnbrechende Untersuchung über Varros disciplinae durch ein Gedicht des Licentius erfährt, das Augustinus dem Briefe n. 26 t. II p. 39 eingelegt hat; in v. 1—14 werden über den Inhalt dreier Bücher, der Musik, der Geometrie (dies unbedeutend) und Astronomie, brauchbare Andeutungen gegeben'.

1) De ordine I 2, 5.

2) De ordine I 8, 24.

3) Quos Augustinus in villa Verecundi Cassiciaca componere coeperat cf. Retract. I 6.

4) Versus laudamus ex editione Baehrensii FPR. p. 413.

Disseruit canere, et pariles agitare choreas,
Implicuit nostrum varia caligine pectus,
Induxitque animo rerum violentia nubem.
Inde figurarum positas in pulvere formas
Posco amens aliasque graves offendo tenebras,
Ad summam astrorum causas clarosque meatus,
Obscuros quorum ille situs per nubila monstrat.

Fabricius (Bibl. lat. med. aet. vol. IV p. 810) v. 1: 'arcanum Varronis iter' putavit Varronis novem libros disciplinarum a Licentio esse signatos; Wernsdorfius vero sibi persuaserat a Licentio P. Terentii Varronis Atacini 'Chorographiam' indicari, cum idem, quod Licentius hic scripsisset, argumentum fuisset chorographiae. Fragmenta scilicet carminis P. Terentii Varronis Atacini, quae Chorographia inscribuntur, tradita sunt[1]), quae de harmonia caeli agunt, sed difficultates, quae ita mentem Licentii hebetaverunt (v. 2), ut omnis cura legendi iaceret (v. 3), in eis inveniri non possunt, immo fragmenta perspicuitate atque elegantia insignia sunt (Ritschelii opusc. III p. 433 adn.). Nemo autem qui Licentii carmen legerit sententiam habebit Augustini discipulum de P. Terentii Varronis Atacini carmine egisse, et ad huius interpretationem ab Augustino scripta salutiferi sermonis (v. 146) et libros de musica (v. 150) petivisse. Sed id quod Licentius de difficultate Varronis arcani itineris v. 1 dicit, rectius trahamus ad Reatini summam doctrinam, cuius in disciplinarum libris et Augustinus et discipulus Licentius Mediolani et Cassiciacae versati sunt. Itaque nihil aliud v. 1 'arcanum Varronis iter' significare videtur nisi rationem ac viam (μέθοδος), qua Varro Licentium ad arcanam Pythagorae doctrinam ducit. Velut Tacitus quoque verbo 'iter' hac significatione usus est (dial. de orat. 19): 'at certe imbutus sit, novis et exquisitis eloquentiae itineribus opus est, per quae orator fastidium aurium effugiat'. Fere eadem ratione v. 5 'perplexa viri (Varronis) compendia' interpretanda sunt, quae significare videntur intricatas vias compen-

1) Baehrens, Fragm. poet. Rom. p. 332; H. Meyeri, Anthologia vet. Lat. epigr. et poem. vol. I p. 19.

diarias quibus Varro doctrinam explicat. Licentii autem amor studendi maior erat quam intellegentia; itaque Augustinum ad explicandam Varronis doctrinam advocat:

'iacet omnis enim mea cura legendi
v. 4 Te non dante manum, et consurgere sola veretur.
v. 26 An te voce vocem, clari quem rector Olympi
Fontibus infantum praefecit et abdita iussit
Vbertate animi longe ructare fluenta?
Ferto, magister, opem, ac iutum (?): ne desere vires
v. 30 Invalidas mecumque sacras subvertere glebas
Incipe tempus enim, nisi me mortalia fallunt,
Labitur in seniumque trahit.

Opus autem quod Licentius v. 29 ab Augustino petit in extrema parte carminis nuncupat:

v. 145 Interea venient quaecunque futura bonorum
Scripta salutiferi sermonis (et illa priorum
Aequiparanda favis, reputans quae pectore in alto
Conceptum in lucem vomuisti nectareum mel),
Praesentem ipsa mihi te reddent, si mihi morem
v. 150 Gesseris, et libros, quibus intellecta recumbit
Musica, tradideris; nam ferveo totus in illos.

Quibus ex versibus certe concludendum est Licentium nullos alios libros ab Augustino petivisse nisi libros disciplinarum, et inter eos imprimis libros de musica. Hi sunt 'salutiferi sermones priorum aequiparanda favis' magistri Augustini et discipuli Licentii, quibus ille sperabat, id, quod in Varronis libris obscure esset dictum, melius explicatum se reperturum esse. Cum autem Licentius Augustinum admoneat v. 26, ut opus conficiat, non aliud opus intellegi potest, nisi Mediolani et Cassiciacae incohati libri disciplinarum, in quibus responsa, quae apud Varronem lateant (v. 24) Licentius se invenire putat. Si vero consideramus Augustinum interpretatione imprimis artium liberalium insignem fuisse[1]), et, ut

1) Quod ipse dicit conf. IV 30: 'non enim sentiebam illas artes etiam ab studiosis et ingeniosis difficillime intellegi, nisi cum eis eadem

ex libro de ordine scimus, Licentio studium disciplinarum commendasse, et, ut videtur, Augustinum ipsum artes liberales ad instituendos amicos scribere incohasse, probabile videtur Licentium carmine, quo quasi rationem de suis Varronianis studiis Augustino redderet, a magistro suo efflagitasse, ut libros disciplinarum incohatos perficeret.

Quae si ita sunt, non dubium amplius cuiquam videatur, quin id quod Licentius in carmine de Varronis doctrina dicit ad Varronis libros disciplinarum referendum sit.

§ 25.

His expositis subicienda est quaestio, num forte carmine nobis aliquid traditum sit, quo certiorem speciem singularum artium a Varrone pertractatarum menti nostrae informare liceat.

Versus 7 et 8 nos docent de argumentis eorum librorum, qui propter perplexam viam ac rationem Varronis Licentio difficiles erant ad intellegendum. Varro, ut Licentius his versibus dicit, 'numerum dedit tonis mundumque Tonanti disseruit canere, et pariles agitare choreas'. Res ipsa loquitur Varronem hoc libro de numeris et harmonia caelorum Pythagorae disputasse. Sed cum Varro pluribus in libris de ea re egerit, temptare debemus num certius quid statui possit. Tria Varronis opera in quaestionem vocari possunt, aut libri disciplinarum aut logistoricorum liber qui inscribitur Tubero de origine humana aut libri de principiis numerorum. His novem libris de principiis numerorum Varro doctrinam Pythagorae tractavit[1]), neque, ut Ritschelius l. l. p. 442 probavit, eisdem libris geometriam et musicam praetermisit. Sed non est dubium, quin materiam, quam Varro libris de principiis numerorum exposuit, magna ex parte libris disciplinarum retractaverit, velut fragmentum alicuius libri de principiis numerorum, quod incertus auctor libelli de gram-

---

conabar exponere et erat ille excellentissimus in eis, qui me exponentem non tardius sequeretur'.

1) Cf. Ritschelii opusc. III p. 442.

matica in appendice Augustini operis servavit[1]), rursum invenitur in Varronis quinto libro disciplinarum de arithmetica[2]). Deinde ex Censorini libello de die natali intellegitur Varronem libro logistoricorum qui vocatur Tubero de origine humana Pythagoricam doctrinam tractasse[3]) IX 9: 'hac Chaldaeorum sententia explicata transeo ad opinionem Pythagoricam Varroni tractatam in libro qui vocatur Tubero et intus subscribitur de origine humana'. Ad argumentum scilicet logistoricorum libri[4]) bene quadrat, quod Censorinus de harmonia caelorum e Varrone ipso aut ex aliquo scriptore, qui e Varronis libris hausit[5]) sumpsit, velut c. XIII: quamquam doctrina, quam Censorinus c. X de regulis musicae inserit[6]), non e logistoricorum libro, sed potius e libro disciplinarum de musica derivata esse videtur. Cum vero Censorini doctrina de musica ex Varronis libris ducta ex parte cum Martiani Capellae disciplinarum libro de musica consentiat[7]), coniciendum est Varronem in VII libro disciplinarum de musica Pythagorae doctrinam tractavisse.

Ad interpretandam autem sententiam versus 7 'Quis numerum dedit ille (Varro) tonis ...' nos adiuvat Martianus, qui omnia quae in IX libro de musica de numeris et tonis scripsit, ut Deiterus evicit[8]), e Varronis disciplinarum libro

---

1) Migne vol. 32 p. 1403.

2) Cf. Ritschelii opusc. III p. 363.

3) O. Iahnii praefat. Censorini editionis p. VIII.

4) Ritschelii opusc. III 482 adn.: 'In Betreff der Logistorici dürfte die allgemeine Vorstellung von philosophischen, namentlich ethischen, jedoch mit einem reichhaltigen Beiwerk historischer Belege durchwirkten, und mehr populär als systematisch gehaltenen Discursen dem Wahren immer noch am nächsten kommen'. Cf. etiam Hirzel, Dialog I p. 329.

5) Cf. Holzer l. l. p. 8.

6) Censorini l. l. c. X: 'sed haec quo sint intellectu apertiora, prius aliqua de musicae regulis huic loco necessaria dicentur, eo quidem magis, quod ea dicam quae ipsis musicis ignota sunt. nam sonos scienter tractavere et congruenti ordine reddidere illorum *, ipsis autem sonis motuum modum mensuramque invenere geometrae magis quam musici'.

7) Cf. Censorini l. l. c. 12 et Martiani l. l. § 926; Holzeri l. l. p. 9 sqq.

8) H. Deiter, Ueber das Verhältniss d. Mart. Cap. zu Aristides Quint. (Progr. Posn. 1881).

de musica excerpsit. Martianus enim § 931 enumerat duodeviginti tonos perfecti sonorum gradus per omnes tropos et explicat § 932 symphonias, id est vocum discrimina quae inter se harmonia consonant. Qua de re concludendum est Varronem in libro de musica gradus sonorum tractavisse et numeros tonis, ut Licentius ait, dedisse. Ad hunc librum interpretandum Licentius Augustini libros de musica desideravit. Sed etiam aliud adminiculum in arcanis Varronis itineribus sequendis Licentius desiderabat, quod, ut dicit v. 12, poscit amens. Scimus enim ex Augustini confessionibus (IV c. 16) Aristotelis categorias figuris in pulvere depingentibus magistros interpretari solitos esse; etiam doctrina de proloquiis in dialecticae arte ad meliorem intellectum figuris describebatur [1]). Tales figuras Licentius perplexa doctrina Varronis vexatus poscit v. 11, quibus magistri et astrologi astrorum meatus, quorum Varro, ut Licentius v. 14 ait obscuros situs per nubila monstrat, explanabant et demonstrabant [2]).

Distinguimus igitur duos Varronis libros de quibus Licentius refert, unum quo de musica (v. 7—8), secundum quo de astrologia (v. 11—13) actum est.

§ 26.

Carmen Licentii ab Augustino non tali laude elatum est, qualem poeta exspectaverat. Animus enim Licentii a rebus divinis alienus [3]), ut ex responso Augustini efficimus [4]), Augustino valde displicuit, qua de re libri de musica Licentio non missi sunt.

---

1) Velut plures codices octavi et undecimi saeculi figuras ad Apulei proloquia servaverunt cf. Meiss Progr. Lörrach 1886 ed. Apulei περὶ ἑρμηνείας p. 18. Cf. etiam Martiani Capellae l. l. IV 337.

2) Cf. Varronis Sat. Menippeae 280 (Buech.): 'astrologi non sunt? qui conscribillarunt pingentes caelum'. Exemplum huius per figuras institutionis astrorum meatus Macrobius comm. in somn. Scip. I 21, 3 eqq. servavit.

3) Cf. v. 74 et totus semel in tua corda venirem, ni meus coniugio incumbens retineret euntem.

4) Migne v. 33 p. 103.

Augustinus apud Mediolanum id est Cassiciacae, cum a curis maioribus magisque necessariis animus vocaret [1]), sex libros de musica de rhythmo tantum lineamentis descripserat [2]) atque sibi proposuerat ad hos de rhythmo libros sex de melo adiungere. Sed 'postquam ei curarum ecclesiasticarum sarcina imposita est, omnes illae deliciae fugerunt de manibus' [3]), ut libros de musica neque ad finem adducere neque omnes emendare posset. Ita factum est, ut sextum tantum librum, qui, ut ipse ait (ep. l.), omnis fructus ceterorum sit [4]), ipse emendaret. Hic sextus liber Memorio episcopo misit, qui ab eo libros disciplinarum petiverat, atque scire voluit quibus numeris consisterent versus Davidis [5]). Utrum ab Augustino ipso an ab illis, qui libros de musica ediderunt, priores quinque libri emendati sint, nescimus; cum autem Augustinus Retractationum I c. 11 exempla solum e sexto libro de musica proposuerit, conici potest ante annum 427, quo retractationes scripsit, alios libros de musica non emendatos, sed post Augustini mortem anno 430 emendatius esse editos.

§ 27.

Quae e carmine Licentii ad eruendum fontem Augustini effici possunt, sunt haec: Licentius ab Augustino ad interpretationem Varronis artium liberalium libros disciplinarum (salutiferi sermones et libros de musica) petivit. Augustini igitur disciplinarum libri eadem ratione ac Varronis compositi erant, sed ita scripti, ut obscuram et summam doctrinam Varronis explicarent. Augustinus ergo Varronis libros artium ita in suum usum convertit, ut illas etiam ei qui parum ingeniosi essent intellegerent. Quodsi haec erat ratio atque effectus Augustini disciplinarum, fons, e quo Augustinus hausit, Varronis opus erat disciplinarum.

---

1) August. ep. 101 Migne v. 33 p. 369.
2) Retract. I 6 et 11.
3) August. ep. 101 Migne 33 p. 369.
4) Retract. I 11, 1.
5) August. ep. 101 Migne 33 p. 369.

Examinemus nunc argumenta, quae nostram sententiam de hoc fonte Augustini dialecticae confirment. Nullum fragmentum Augustinus servavit e Varronis libris de lingua Latina, sed e primo libro disciplinarum de grammatica (§ 5)[1]). Augustinus libellum 'de dialectica' sicut disciplinarum librum quendam inscripsit (§ 11) et in extremis capitibus (VII—X) proprie philosophiae materiam tractavit, quae a libro grammatico abhorret[2]). Dispositio Augustini dialecticae cum Varronis partibus dialecticae congruit, ut ex Martiani dispositione efficimus (§ 13). Augustinus de sono verborum et litteris in dialectica non disseruit, quod Varro eandem materiam iam in primo libro disciplinarum tractaverat (§ 15). Deinde demonstravimus Augustinum neque e pluribus libris de lingua Latina (§ 2) neque e primo libro huius operis dialecticam excerpsisse (§ 22). His vestigiis viam, quae ab Augustini dialectica ad Varronis disciplinarum librum ducit, impressam videmus, ut dubitatio de fonte e quo Augustinus dialecticam hauserit, plane removeatur. Reitzensteinius quidem magno cum acumine Varronis prooemium de lingua Latina librorum fontem esse Augustini dialecticae exposuit, sed neque sententiae eius ullus virorum doctissimorum, ut Goetzius[3]), Funaiolius[4]), Roehrscheidius[5]), Mullerus[6]), astipulatus est, neque argumenta quae ille profert, cum rebus ac rationibus Augustini dialecticae et Varronis initii libri octavi ita concordant, ut ullam persuadendi necessitatem habeant. Considerandum autem est, num Varro in libro disciplinarum qui est de dialectica, id quod iam primo libro de lingua Latina exposuerat, ex parte rursum expediverit. Quae si ita erant, Varro quidem ex primo libro de lingua Latina duplicem divisionem totius linguae in verbis simplicibus et verbis coniunctis libro de dialectica quasi fundamentum supposuit.

1) Cf. Funaioli l. l. p. 187; Goetzii et Schoellii l. l. p. 227.
2) Funaioli l. l. p. 187.
3) Cf. Berliner philol. Wochenschrift vol. 21, Lipsiae 1901, p. 1031.
4) Gramm. Rom. Fragm. p. 187.
5) Götting. gel. Anz. 1908 II p. 814.
6) l. l. p. 255 sqq.

Hanc divisionem autem ille prooemio librorum de lingua Latina non potuit nisi rationibus probare[1]; at in libro disciplinarum de dialectica cum probare tum aliquo modo copiosius expedire debuit. Neque enim perinde est, utrum prooemio, quod postulat brevitatem tota doctrina linguae Latinae brevi conspectu forma dialecticae tractetur, an haec materia separato et proprio libro exponatur. Sive igitur Varro primo libro de lingua Latina divisionem totius linguae in verbis simplicibus et verbis coniunctis expedivit sive ad hanc rem brevi expositione alicuius Stoici **περὶ διαλεκτικῆς** usus est, non est dubium, quin Varro postero libro de eadem materia multo copiosius, quam prooemio operis de lingua Latina fieri potuit, dialecticam tractaverit. Quis compilator autem materiam e summario prooemii excerpere mavult quam e libro quo tota res accuratius et uberius explanata est? Augustinus vero, qui penitus Varronis disciplinis imbutus erat, si ad librum de dialectica componendum Varronis disciplinarum libro de dialectica non usus esset atque hunc fructum Varroniani ingenii contempsisset et e prooemio librorum de lingua Latina dialecticam excerpsisset, iudicio lapsus imprudenter egisset.

---

1) Sic etiam argumentatur Reitzensteinius p. 75.

VITA.

Natus sum Balduinus Fischer Borussus patre Antonio matre Magdalena Coloniae Agrippinae a. d. XIII Kal. Quintiles a. MDCCCLXXVII; fidem profiteor evangelicam. Primis litterarum disciplinis in gymnasio Novesiensi imbutus, post morbum longinquum atque gravissimum in scholam privatam deductus sum, quae tum Baropio rectore in vico Keilhau florebat. Ubi huius scholae testimonium maturitatis autumno MDCCCLXXXXIV adeptus Berolinum aliasque urbes me contuli, ut rebus mercatoriis operam darem. Interea voluntarius in imperatoris classe annum militavi, cuius inter subsidiarios nunc pyrotechnus sum. Consilio autem postea mutato denuo litteris me dedi, ut autumno anni MCMVII in gymnasio Berolinensi, quod Leibnizii nomine insigne est, maturitatis testimonium extraneus adipiscerer. Primum Berolini studiis philologicis, historicis, philosophis per sex menses me dedi, deinde Ienae per quattuor semestria, tum Berolini per altera duo. Vere anni h. s. XI rursum petivi almam matrem Ienensem, cuius civis adhuc sum. Docuerunt me viri doctissimi Berolinenses: Baesecke, O. Hirschfeld, Imelmann, Lehmann-Haupt, E. Norden, Pischel (†), Roethe, M. C. P. Schmidt, Strecker, Stumpf, Vahlen (†), Wentzel, de Wilamowitz-Moellendorff; Ienenses: Delbrueck, Diehl, Eucken, Goetz, Graef, Hirzel, Leitzmann, Michels, Nohl, Stoy, Weber.

Proseminario philologo et germanistico Berolinensi interfui per sex menses, Ienensi proseminario philologo per tria semestria. Seminarii superioris coetus ut sodalis essem ordinarius humanitate effectum est Goetzii et Hirzelii directorum. Ad exercitationes me admiserunt archaeologicas Graef et Weber.

Quibus viris doctissimis cum omnibus gratias ago candidissimas, tum Georgio Goetzio, cui quantum debeam numquam me obliturum esse profiteor.